



1. Bauer s. Hr. Frid. Diss. de gratiosa Spiritus  
3. disciplina exiitose contenta Wittenb. 1742.
2. Baumgartens. Sigism. Jac. Diss. de ultima  
coena Christi paschali Hald 1743.
3. ——— Diss. de conversione non instantanea,  
Hald 1743.
4. Bebelij. Balth. Diss. de primogenitura  
ex mortuis redivivi Domini Jesu Christi  
francof. 1743.
5. Benner s. Joh. Herm. Zingendorffs pro Catechis.  
mus g. Th. 1744.
6. Boerner s. Mr. Fried. Diss. de Andronico  
et junca in Epist. ad Rom. XII.  
Lipsie 1742.
7. Clauswitz s. Bened. Gottl. Diss. nova  
de fide in Jesum Christum  
Hald 1743.



29

SEPULTVRAM  
IN TERRA SANCTA,  
A IACOBO AC IOSEPHO,  
PATRIARCHIS MORIBVNDIS,  
EXPETITAM,

---

DVCTV ORACVLORVM DIVINI CODICIS,  
GEN. XLVII. 29. 30. 31. XLIX. 29. 30. 31. 32. L. 5. 24. 25.  
HEBR. XI. 21. 22.

---

PRAESIDE  
PARENTE, SANCTE OBSERVANDO,  
DN. CHRISTOPH. HENRICO  
ZEIBICHIO,

S.S. THEOLOGIAE DOCT. ET PROF. PVBL. PRIMARIO,  
SENATVS SACRI ASSESSORE, TEMPLI OO. SS. PRAEPO-  
SITO, ATQVE ORD. THEOLOGORVM

H. T. DECANO,  
PRO LOCO,  
INTER S. S. THEOLOGIAE CANDIDATOS  
OBTINENDO,

PUBLICAE PLACIDAEQVE ERVDITORVM  
DISQVISITIONI  
SVEVICIT  
A V C T O R,  
CAROLVS HENR. ZEIBICHIVS,  
ARTIVM MAG. ATQVE ORDINIS PHILOSOPH. ASSESSOR.

---

IN AVDITORIO MAIORI,  
DIE XVIII. DEC. MDCCXLII.

---

VITEMBERGAE, PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI,  
ACADEMIAE A TYPIS. *h*



27

SEPVITVRAM  
IN TERRA SANCTA  
A IACOBO AC IOSEPHO  
PATRIARCHEIS NORIBVNDIS  
M.D.CXXVII

PRO DOCTORIBVS  
H. THEOLOGICIS

DR. CHRISTOPH. HENRICH  
ZEIBICHNIO

SS. THEOLOGICAE DOCT. ET FRON. VBI PRIMARIO  
S. THEOLOGICAE FACULTATIS PRAEPOSITO  
H. THEOLOGICAE

PRO DOCTORIBVS  
H. THEOLOGICIS CANDIDATIS  
H. THEOLOGICAE FACULTATIS  
PRAEPOSITO

CAROLVS HENRICH ZEIBICHNIVS  
H. THEOLOGICAE FACULTATIS  
PRAEPOSITO

IN ABBATIA MAIORI  
H. THEOLOGICAE FACULTATIS  
PRAEPOSITO



IN  
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

AC  
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
SERENISSIMI

PROTO-SYNEDRIO  
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

**P R A E S I D I**

LITERARVM PATRONO ATQVE AMPLIFICATORI  
INSIGNI LAVDE CELEBRATO

DOMINO SVO MVLTQ GRATIO-  
SISSIMO

ITEMQVE  
ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
SVMME REVERENDIS CONSVLTISSIMIS  
AMPLISSIMIS

EODEM IN  
SENATV SVMMO SACRO

**C O N S I L I A R I I S**

ATQVE  
**A S S E S S O R I B V S**  
DOMINIS SVIS PATRONIS  
AC MAECENATIBVS

QVA FIERI PAR EST PIETATIS ATQVE  
OBSEQVII RELIGIONE  
AETATEM DEVENERANDIS



HOC  
QUICQVOD EST LABORIS ACADEMICI  
SACRVM ESSE VVLT  
ET CVM  
VOTIS ARDENTISSIMIS  
PRO  
EORVNDEN AC DOMVVM SPLENDIDIS-  
SIMARVM  
SALVTE FLORE ET PROSPERITATE PERPETVA  
CONCEPTIS  
PARITER AC  
DEMISSA PRO BENEFICIIS IN SE HACTENVS  
COLLATIS IISQVE SVMMIS  
GRATISSIMI ATQVE OBSEQVENTISSIMI ANIMI  
TESTIFICATIONE  
ANTIQVO CLIENTVVM MORE

D. D. D.

CAROLVS HENRICVS ZEIBICHIVS





כשם הקבה

DE  
SEPVLTURA  
IN TERRA SANCTA,

A  
IACOBO AC IOSEPHO, PATRIARCHIS  
MORIBVNDIS, EXPETITA.

DISSERTATIONIS TOTIVS CONSPECTVS.

- |   |   |
|---|---|
| I. <b>D</b> eportatio corporum Patriarcharum ex terris Aegyptiis. | X. Praevogatiuae Terrae Sanctae, ex mente Iudaeorum.                  |
| II. <i>Offium Translatio.</i>                                     | XI. <i>Causae aliae, ex Iudaeis deceptae.</i>                         |
| III. <i>Sepulchrae aetnae.</i>                                    | XII. <i>Causae Pontificiorum indicantur.</i>                          |
| IV. <i>Quies apud Parves.</i>                                     | <i>Desiderium Precum &amp; Sacrificiorum in Palaestina.</i>           |
| V. <i>Excisum, ante obitum, sepulchrum.</i>                       | XIII. <i>Cultus Reliquiarum expetitus, ex eorundem opinione.</i>      |
| VI. <i>Desideria moribundorum.</i>                                | XIV. <i>Quomodo distet Pontificiorum et Patriarcharum translatio.</i> |
| VII. <i>De Iureiurando, manu posita sub femur, praestito.</i>     | XV. <i>Verae Causae indagantur. Societas Maiorum respecta.</i>        |
| VIII. <i>Hebron, Mamve, Machpela.</i>                             | XVI. <i>Noratur IO. CLERICVS.</i>                                     |
| IX. <i>Causae desiderii huius, a Iudaeis excogitatae.</i>         |   |
| <i>Distinctio, in resurrectione observanda, secundum eosdem.</i>  |   |
| <i>Reuolutio Corporum.</i>  |   |

A

XVII



- XVII. *Conseruatio memoriae mortui, per sepulcrum propinquum.*
- XVIII. *Terrae Sanctae amoenitas.*
- XIX. *Palaeestina, terra Desiderii. De Desiderio Mosi, aetate prouecti.*
- XX. *Terra Sancta est terra, Patribus promissa.*
- XXI. *Quies Cananaea, imago quietis aeternae.*
- XXII. *Patria Messiae, Palaeestina.*
- XXIII. *Fides Patriarcharum moribundorum declaratur.*
- XXIV. *Effatum Apostolicum, de Desiderio Iacobi, Fidei documento.*
- XXV. *Aliud, de Desiderio Iosephi, ex Fide exsurgente.*
- XXVI. *Verum, spe Resurrectionis cum Messia, Parues haec desiderarunt.*
- XXVII. *Translatio Iacobi post mortem.*
- XXVIII. *Translatio Iosephi.*
- XXIX. *De Testamento XII. Patriarcharum.*
- XXX. *Hodierna facies sepulcri Hebronitici.*



Magna est dignitas argumenti praesentis, quod, Numinis Supremi annuente gratia, explanate persequi, statutum est apud animum, deliberarumque. Facta enim meditanda sunt ac verba ultima Patriarcharum, heroum fidei, amicorum Dei, quibus nihil sane potest esse illustrius, nihil, ad ciendam mentis sanctitatem, efficacius. Quamobrem dulce nobis erit et iucundum, sanctissimae illi immorari curae, qua, qui per omne vitae spatium de animae salute fuere solliciti, ultimum agentes spiritum, tantum corpori dant, quantum laudabile est et honestum. Sed, ad ipsam hanc, qua toti recreamur, dulcedinem, ingens illud accedit pondus, quod cum multis affertur rationibus aliis, tum ab effato arcessendum inprimis Apostolico est, quo ipsum *Fidei* Patriarchalis documentum, in *Desiderio Sepulturae, in Terra Sancta impetrandae, spectari, perhibetur.* Viuunt omnes Patriarchae in solo illo terrarum electo et Cananaeo. Atque Abrahamus quidem et Isaacus in eodem de statione decedunt vitae, nec quicquam praecipuum de Sepulturae loco, quem suos in Palaeestina capessituros cineres, dubitare non poterant. At postremi duo, *Iacobus ac Iosephus*, cum degant extra Terram Sanctam, ibidemque expirent, tanto ardentiori, moribundi, Terrae illius



illius tenentur desiderio, quanto insigniori amore uiui eam fuerant profecti. Cuius ideo rei, commemorabilis maxime, recessus, uerasque causas, inuestigare iamiam conabimur. Confidimus etiam, fore, ut, antiquo illo Deo, qui *Patrum Deum* grauitur se dixit, stipati, omnia feliciter expediamus.

## I.

**S**ingula praecepti huius, a Patriarchis moribundis profecti, ut expendantur uerba, rei grauitas poscit. Quid igitur sit, quod tam anxie, tantaque cum sollicitudine flagitent, primo loco si ex nobis quaeras, ueri nominis esse *Sepulcrum*, respondendum erit, distinctis loquendi modis hic descriptam. Inter hos referenda est *Deportatio Corpoum e terris Aegyptiis*, in mandato Iacobi ad Iosephum, filium, significata: נשאחתי ממצרים *Efferas me ex Aegypto*. a) Verbo enim נשאחתי, quod *Ferre, Portare*, Hebraeis notat, ipsa mortui, e loco, in quo obiit, deportatio, siue funus procedat, in locum propinquiorem, siue in distitum et remotiorem, exhibetur. Conueniunt uerba gentium aliarum, *Ferre, Efferre, Ferre foras*, *ἐκφέρειν, ἔξω φέρειν*. Inde *ἐκφορά*, inde *νεκροφόρος, νεκροφορεῖον, φορέιον*, quod in Glossis est *Letica, Feretrum, Φερετρον* denique, pro quo apparet apud SVIDAM, HESYCHIVM, EVSTATHIVM, *Φερετρον*, sensu eodem. Effereudos autem homines, uita functos, cum ipsae suadeant leges naturales, siue illud fiat ex urbe, siue ex domo, siue, ut apud ueteres, in domibus ac hortis sepelientes, e conclau, ubi expirauit aeger: quis dubitet, in gente etiam Hebraea *Elationem* mortuorum non usu solum fuisse introductam, sed ipsa etiam iniunctam necessitate. Videas in funere adolescentis Nainitici *Βασίλειον*, b) quae Graecis, uoce alia, ob onus insigne, humeris insidens ipsorum, quod hodie inprimis ex aucta basium manubriorumque mole accreuit, *κοπιώτες* uel *κοπιήται* dicuntur. c) Respicit consuetudinem eandem uerbum *ἐκκοιλεῖν*, d) quod ferale esse et funebre, non tantum e cognatis, *συγκοιλεῖν, ἀνακοιλεῖν, παρακοιλεῖν*, apud SCHOLIASTAM AESCHYLII, e) cognoscitur, sed ex locis etiam scriptorum alii,

A 2

a) GEN. XLVII. 30. b) LVC. VII. 14. c) IO. MEVRSII *Glossar. Gr. Barb. b. v. p. 267.* IOS. BINGHAM. *Orig. Eccles. Vol. II. p. 42. sqq. 47. sqq.* d) LVC. VII. 12. e) *Sept. ad Theb.*

u. 930. Conf. Locus ACT. IIX. 2. Add. BOCHART. *Not. in Luciani, Caph. Presb. scriptum, sub fin. Geographiae Surae*, col. 1239.



aliis, quorum copiam dant 10. CHR. WOLFIVS, f) IAC. ELSNERVS g) AC IO. FAES. h) Sic Ananiam, morte extinctum subitanea, *כי נשׂוּתָּוּ וְזָבְרוּ אֶת־עֵינָיו וְנָפְלוּ מִן־הַבַּיִת*. i) Nec tacent, de *Elatione* mortuorum, gentis Iudaicae Sapientes. Sane enim, in MASS. BERACHOTH k) nominantur *portantes feretrum*; adducuntur eorum *uicarii*, cum *uicariorum uicariis*, qui fatiscitibus subueniunt, laboris tanti leuamine allato. Quid igitur hic erit *Elatio* Iacobi aliud, quam deportatio corporis eius, ex Aegypto facta, domoque eius ferali. Dicunt hoc Hebraei interdum הוֹצִיאָה הַמֵּתִים *Efferre mortuos*, unde הַמֵּתִים הוֹצִיאָה *Egyessus mortui*, pro *elatione*. l) Interdum uocant הַמֵּתִים *Portare*. m) Ais, quomodo fieri illud potuisse, credibile est, in itinere tam longinquo? quot conquirendi baiulantes? quot uicarii? Est enim locus apud MAIMONIDEM, n) ubi defunctus non *lectica uebi*, sed *efferrit bumeris*, iubetur. Ipsum etiam huc redit praecipuum Iudaeorum affirmatiuum, הוֹצִיאָה עַל הַכֶּתֶף *efferrendum esse mortuum super bumero*. o) Sed, haec quidem admittuntur de mortuo, in loco illo sepulto, in quo expirauit: negantur autem de eo, cui magnum post mortem iter est subeundum. *Curru uectum* funus Iacobi, ex ipsa sepulturae descriptione cognoscitur. Habes hic הוֹצִיאָה בְּכַר מִן־הַמֵּתִים *agmen graue ualde*, quod clarius exponitur postea: הוֹצִיאָה גַם רֶכֶב גַם פָּרָשִׁים *ascenderunt cum eo* (Iosepho comitante) *tam curru, quam equites*. p) Non enim tantum *equis generosis* et *equibus* Aegyptus abundabat, unde equa curulis Pharaonis imaginem exhibet Ecclesiae Salomoni: q) *Sed Curribus* etiam bellicis, regiis, aliis, r) sacris profanisque monumentis celebratis. De ipso igitur corpore cum haec legas: הוֹצִיאָה בְּכַר מִן־הַמֵּתִים *Portarunt illud filii eius in Terram Canaan*, cur dubites, cum funeris comites curru uecti atque equis supra dicantur, de ipsa corporis Iacobi mole idem existimandum esse. Nec repugnat usus uerbi הוֹצִיאָה, quod tam de portatione *in dorso* ac *bumeris*, quam *in uehiculo*, interpretari potes. Relinquitur, ut, tum in desiderio Iacobi, tum in ipso exequiarum actu, quicquid sub הוֹצִיאָה comprehenditur, de *elatione*,

f) *Cur. Phil. & Crit. in N. T. T. I. p. 632.*

g) *Obseru. Sacr. ad. N. F. Libb. P. I. p.*

211. h) ad GYRALDVM, *de uar.*

*sepel. ritu*, Opp. GYR. T. I. p. 736. i)

ACT. V. 6. k) *cop. III. §. I. l)*

ZEMACH DAVID, f. 36. m)

HILCOTH EBHEL, c. XIV. §. 1.

n) HILC. EBH. c. IV. §. 2. o) l. c.

in HILC. E. p) GEN. L. 7. 9. q)

CANT. I. 9. r) SAM. BOCHART.

*Herozoic. T. I. col. 169. s) GEN. L.*

13.



tionem, non in humeris filiorum, sed in plauftro ac uehiculo facta, intelligendum cenfeamus.

## II.

Quid efferendum fit ex Aegypto, ac transferendum in Terram Sanctam, aperitur statim, ubi ipsorum *Ossum* praecipitur *Translatio*. De qua Iosephus moriturus: *עצמותי עליהם תדעו* Traducetis *Ossa mea ex hoc loco*. t) *Ossa* hic uocantur, et totum intelligitur Corpus, ex quo anima excessit, more sacrae Scripturae, quae, sicut hominem uiuum, cuius *Caro* uegeta ac uirens est, circuloque sanguinis alitur, cuius *Ossa* carni adhaerent, cuius denique *Anima* substantiam ipsam animat, *בשר Carnem*, u) *עצם substantiam Ossis*, x) ac *נפש Animam* y) dicit: sic, post obitum, ubi anima in aeternum proficiscitur domicilium, ac, cessante sanguine, caro perit et pinguedo, *Ossum* uocabulo hominem comprehendit integrum. Solus Messias, putrefactionis carnis expers, de corpore suo exanimi dicit: *בשרי ישכן לבטח* CARO MEA *habitabit in spe*, certissimae uidelicet resurrectionis, neque ullo turbabitur metu reductionis in cineres. z) Vocantur autem *Ossa* hic, atque alibi, *עצמות* ab *עצם* *uulidum, robustum esse*, propterea, quod non tantum hominis uiui sustinent machinam, ne ob molem corruiat, sed et, exanimato corpore, uitali succo extincto, carne putrescente, iamque in puluerem conuersa, longissime obstitunt corruptioni, integraque conspiciuntur. a) Praeclare ABEN ESRA: b) *הזכיר עצמות כי כל הבשר והעור ירום הולעים* Meminit (Patriarcha) tantum *Ossum*, quia omnis caro et cutis producit uermes et putrescit, ut supersint, interiectis annis paucis, tantum *Ossa*. Hinc dicti *σαρκοφάγοι*, quia non ossa deuorant, sed carnem, post decessum hominis inclusam. Hinc Lapidem etiam ueteres non carnem tegere, sed CINERES atque OSSA, dicuntur. Adeantur oracula monumentorum sacrorum, quae *עצמות ossa* saepenumero allegant, ipsis tamen demortuorum corporibus significatis. c) Cuius obseruationis

A 3

t) GEN. L. 25. u) GEN. II. 23. XXIX. de Sepulcr. Hebr. p. 28. BRAVN. in Epist. ad Hebr. p. 767. b) ad fin. cap. 14. x) DANZ. Literat. Ebr. Chald. §. XXXVI. membr. III. EI. Interpr. L. GEN. c) IOS. XXIV. 32. I. REG. Ebr. Ch. § XLV. y) NVM. XXIII. XIII. 31. IEREM. II. X. I. SAM. IO. 2) PS. XVI. 9. a) SAL GLASS. XXXI. 13. II. SAM. XXI. 13. 14. Philol. S. p. 1765. IO. NICOLAI, II. REG. XXIII. 18.



tionis usus hic praecipue spectatur, ubi, in funere et Iacobi et Iosephi, non ossa tantum, sed totum, quod praeter partem hominis nobiliorem supererat, corpus transfertur. Moriebantur enim inter Aegyptios, apud quos non putrefactioni dabantur corpora, sed, uncta Opobalsamo, atque Aromatibus condita pretiosis, Cassis, Cinnamomo, Unguento Cedrino, Aloe, Vino Phoenicio, maxime vero Myrrha, lacrymatoria illa ac guttas stillante, ex arbore Arabiae felicis asportata, asseruabantur integra, ita, ut, carne ossibus adhaerente, totus compareret homo, totumque corpus illius exenteratum ac medicatum, *Mumia* Aegyptiis dictum. d) Ex quibus apparet, quod, ubi condantur Iosephi Ossa, ibi ipse deponatur Iosephus, vera sepultura cohonestatus.

## III.

Succedit ipse *Sepulturae* actus, uerbo קבר expressus. *Noli quaeso, moribundus inquit Iacobus, תקברני במצרים Sepelire me in Aegypto.* e) Idem in בקברתם תקברני *Sepelias me in sepulcro eorum,* sc. Patrum. f) Quod desiderium Patris repetitur: קברו אותי אצל אבותי *Sepelite me apud patres meos.* g) Verbum קבר, quis ignorat, idem esse, quod in lingua Latii, *Sepelire, Humare, Condere, Tumulare,* Hellados uero, *Σάπτειν.* Manauit sensus hic uerbi statim ad Magistros gentis Iudaicae, quibus קבוראי & קברני est *Vespillo, Sandapiliarius,* Graecis *νεροθάπτης,* in sepeliendis corporibus mortuis occupatus, sed secundum IALKVT et ARVCH etiam *Coemetarium,* ubi ideo per בית קבורות *locum sepulcrorum* explicatur. Transiit inde ad Chaldaeos, Syros, Arabes, Aethiopes, uti in *Lex. Heptagl. R. קבר* ostendit Vir, uasta linguarum cognitione illustris, EDM. CASTELLVS. Sensus tamen ipse hauritur e Codice Sacro. Ibi קבר tribuitur corporibus mortuorum, iisdemque non, more generum, in cineres, ignis ope, resolutis, neque aqua submersis, sed reconditis in uisceribus ac gremio terrae. Falluntur oppido LXX. ALEXANDRINI, dum in loco quodam קבר uertunt per κόπτεω, h) in alio, per *τῆλευτῶν,* i) cum nunquam de iis, quae praecedunt sepulturam, ut de *placitu ac morte existimandum, semper de ipso sepultu-*

d) DIOD. SIC. L. I. c. III. HEROD. XLVII. 29. f) I. c. v. 30. g) GEN. in Euterpe, p. 61. sq. IOS LANZO. XLIX. 29. h) I. REG. XIII. 31. NI Lib. de Balsamar. Cadan. c) GEN. i) IOB. XXVII. 15.



pulturæ actu usurpetur. Confirmat hoc antiquissimum *sepulturæ* genus, per קבר expressum, quod Saræ Abrahamus, Leæ Iacobus, Mofi Deus ipse, aliis ali conferunt. k) Quodsi tamen huc reuocentur radices aliae, quae ab ea, transpositione duntaxat uel perimutatione literarum organi eiusdem, discrepant, commode cum hac componentur. Sic קבר est *purvair*: ubi uero expectanda citius purrefactio corporum, quam ipsa in terra? חפר notat *fodit*, et confertur haud difficulter cum speluncis subterraneis, ea de causâ fossis, ut mortuorum reliquiae inferantur. Non ergo ineleganter aliquando per κατορθωσαν קבר transferunt ALEXANDRINI. l) A קבר apud Graecos est κρηταιον, postea *Crypta*, et, uoce mutata, *Grupta*, *Grotta*. Inquirant alii, utrum huc pertineant Κρηταια, Κρηταια & Κρηταια. Sane Glossae Vert. apud IO. MEYRSIVM m) satis euidenter per *Monumenta*, per Μνηματα, per ipsum etiam Ταφον, interpretantur. Horum mentio fit apud scriptores superioris aetatis complures, ex quibus, ita dicta, accipimus, *Altarium Conopaea*, *Tegmina*, *Vmbacula*, quae, imposita Altaribus, cum his tegebant ipsa mortuorum corpora, sub umbris Altarium collocata. Qua de re legatur, praeter CAROLVM DV FRESNE, n) IOS. BINGHAMVS. o) Ipse certe LVD. THOMASSENVS p) a קבר *Ciboria* repetit, qui uertit *Sepulchrale monumentum*. Addit etiam: *Est sane nobis Altare tanquam Monumentum, seu Sepulchrum Christi*. Ceterum stat uerbi קבר significatus, quo Patriarcha moriens nihil expetit aliud, quam sublationem e conspectu hominum, atque in effossa crypta depositionem, quo, spiritu ad Deum recepto, corpus in puluerem redigatur.

## IV.

Num restat, quod, cum ueram sequatur sepulturam, persequendum est, uidelicet *Requies*, quam tantopere exoptat Iacobus, uicoram Iosephi auribus haec fuerit effatus: שכבתי עסד-אברתי *Quiescam cum paribus meis*. q) IO. CLERICVS, suo qui exemplo saepenumero comprobatur, uiros etiam magnos atque eruditos labi, uertenda haec censuit: *Cum cubuero cum paribus meis, transferas me*; r) ita, ut

k) GEN. XXIII. 8. XLIX. 31. DEVT. sar. Med. & Inf. Latin. T. I. p. 981. sq.  
 XXXIV. 6. l) EZECH. XXXIX. o) Origg. Eccles. Vol. III. p. 233. sq.  
 II. 12. 13. GEN. XLIX. 7. m) p) Glossar. L. Hebr. p. 866. q) GEN.  
 Glossar. Græco-Barb. p. 244. n) Glos- XLVII. 30. r) Comment. in b. I.



ut שכב ad ipsam, quam obit in Aegypto Patriarcha, mortem, non ad quietem in sepulcro, in Terra Sancta subsequenter, referatur. Accedit Interpres WERTHEMENSIS: *Wenn ich sterbe, so sollst du mich aus Mizraim hinaus fuhren*; cuius tamen auctoritas nulla nobis est, nec digna, quae hic labefacteretur. Quanquam autem, hanc uerbi שכב notionem in locis obtinere aliis, haudquaquam diffitemur, hic tamen, ubi dictum iam fuerat de elatione ex Aegypto, de translatione in Terram Sanctam, de sepultura etiam ipsa, quae omnia Mortem sequuntur, *Requiem uero in sepulcro* praecedunt, non illam respici, sed hanc potius, liquidissimum est. Notat ergo hic nobis שכב *Cubare, Iacere*, in eoque distat a פרה, quod posterius *bestiarum* designet cubationem, in stabulis, in apricatione, alibi; prius tantum accommodetur ad *homines*. Duo uero sunt, cum illo שכב mortuorum coniuncta. Ac primum quidem eorum est *Quies* illa placidissima, quae non stando et eundo, neque semper sedendo, sed *cubando* impetratur. Vnde de Vate illo mortuo, Iosias, לה הנהו לו, inquit, *quiescere eum*. s) De omnibus sanctis testimonium perhibet Spiritus, *ὅτι ἀναπαύσονται ἐν τῶν λόγων αὐτῶν*. t) Locus etiam illustis est, qui huc citari meretur, Iesaiæ Vatis: *הנהו על משכבותם* *Quiescunt super Cubilibus suis*. u) Ratione haud dispari profanarum genium loqui scriptores, edoctum est ab aliis. x) In Lapidibus etiam IACERE, QUIESCERE, RECVBARE, QUIETE SECVRA FRVI, dicuntur mortui, ipsaque Sepulcra REQUIETORIA nuncupantur. Consulendi hic GRVTERVS, SPONIVS, FABRETTVS, REINESIVS, BOISSARDVS, FERRETIVS, SELDENVS, LYDIAT, PRIDEAVX, MALVASIA, Veterum Enarratores Lapidum. Pari sensu Sepulcra TERTVLLIANVM dicere cadauerum *Stabula*, TVLLIVM vero, corporis *Portus*, animaduertit IO. VAN DER NISPEN. y) Laudandi ALEXANDRINI, cum שכב per ἀναπαύσονται frequentius transferunt, interdum etiam per κοιμῶσται et νᾶθ' ὕδεν. Quod redit ad alteram significationem uerbi שכב, quo praeter hanc, quam diximus, quietem, iucundus includitur dulcissimusque *Somnus*. De mortuis, quod *dormiant*, pronunciant Viri sacri, clare satis, distincteque, z) quorum de effatis uarie disputari solet ab eruditiss. a) Ipsique Ser-

uato.  
 s) II. REG. XXIII. 18. t) APO. THESS. IV. 13. MATTH. XXVII.  
 CAL. XIV. 13. u) LVII. 2. x) 52. a) Vid. VORSTIVS, de He-  
 Vid. IO. ALBERTI *Obseru. Pbilol. braisim. N. T. c. VI. GATAKER. de*  
*in N. T. Lib. p. 492. sq. y) Diss. Iu- Stile N. T. c. XLII.*  
*rid. de Sepulcro Viol. p. 33. z) I.*



uatori et Lazarus in specu, et nata lairi in domo ferali, *dormire* dicitur. b) Iudaei ratione loquuntur haud dissimili, ut, sub  $\text{דָּרַמְיִיט}$  *dormiuit*, praestantissimus declarat Lexici conditor Talmudici, 10. BVXTORFIVS. Adeantur pagani, mortem qui uocant *Somnum longum*, *Soporem perpetuum*, *aeternam Noctem*, sepulcrisque inscribunt SOMNVM AETERNVM, SOMNVM AETERNALEM, haud satis edocti, quod euigilare aliquando debeant in opprobrium aeternum atque inenarrabile detrimentum. Alia mitto, breuitatis caussa, quae persequuntur 10. SVICERVS, c) PAVL. ARINGHVVS, d) et 10. VANDER NISPEN. e) Vti igitur *dormiunt* sub terra mortui, sic sepulcrorum *Cubilia* sunt, Christianis primis *Κοιμητήρια*. f) Inde *Coemeterium*, locus, bustis refertus mortuorum, quem gentes dicunt, in Lapidibus, AGRVM SOMNI. Hoc sensu legitur *Κλῆρον*, itemque *Λίθος*, *Lectus*, de loculis, quibus efferebant mortuos, nobiliores praesertim, repletis papyro, scirpo, multisque odoribus, pyraeque impositis, ut cum corpore comburantur. MARTIALI sunt *Tbori*. Cuiusmodi lecti figuram habes apud 10. SCHEFFERVVM. g) Plura lege apud CLAVD. SALMASIVM. h) Hebraei modo loquuntur, parum absimili, quibus Abneri sandapila est  $\text{מַטָּה}$  *Lectus*, i) Afae,  $\text{מַטָּה}$  *Cubile*. k) Iungas SYRVVM, cui adolescentis Nairitici *Σοφός* transfertur  $\text{Κοιμητήριον}$  *Lectus*, eadem dormientium quiete respecta. l) Sic denique uestes mortuorum *Κερίαι* appellantur, *Οσόνια*, *Σεδάρια*, ipsis in sacris, quasi sint indumenta dormientium. m) Habes hic uita functos, instar somno sopitorum alto, suisque in lectis et cameris, uelut dulcis capiendi somni caussa, *cubantes*. Intelliges iam, quid sibi uelint phrasēs, *Cubare sub terra*, *Cubare inter mortuos*, *Cubare in sepulcro*, *in tranquillitate alta*. n) Neque adeo difficile intellectu erit, quid Patriarchae illi moribundi expectent post obitum, uidelicet, non ueram tantum beatitudinem animae, quam non tam desiderant, quam *ἐν πληροφωρίᾳ πίστεως*, sperant: sed et *quietem* corporis exoptatissimam post tot labores ac taedia, *somnum* dulcem post tot uigilias, rotque discrimina rerum, ex quo euigilare aliquando cupiunt, aeterna gloria, qua corpus, animae iunctum, circumfundendi.

## B

- b) IOANN. XI. II. MATTH. IX. h) *ad Solinum*, p. 848. i) II. SAM. 24. c) *Theaur. Eccles.* sub *κοιμητήριον*, et III. 31. k) II. CHR. XVI. 14. d) *Roma Subterranea*. L. I. c. I. l) LVC. VII. 14. m) IO. XI. 44. e) L. c. II. X. p. 33. *sqq.* f) FAES, CHIFFLET. *de Linteis Sepulcr.* (Christi). ad GYRALD. *de Var. Sepel. uita*, p. n) IES. XXVI. 19. PS. LXXXIIX. 740. g) *De Re Vehicul.* L. II. p. 89. 6. XLI. 9. IOB. III. 13.

## V.



## V.

Hactenus, *quid* Patrum moribundorum desiderarit uterque, expofitum est. Veniendum iam ad partem alteram, inquirendumue, *qua ratione, quantoque ardore*, desiderium ipfum editum fuerit atque conceptum. Hic ergo, primo ftatim loco, in magnitudinem intuearis desiderii ac feueritatem, de qua te commonefaciat Sepulcrum illud, *foffum et excifum ante mortem* a Iacobo. Hoc refert, ex ore Patris, Iofephus: *Pater meus dixit: Sepeli me in fepulcro*, אשר כריתי לי קבר כנען *quod FODI MIHI in terra Canaan.* o) Ex quo, quanta fuerit feputurae cura a Patriarcha habita, difpalefcit. Neque uero incoleus fuit quondam mos ille, quo uiui fibi conficienda curabant dormitoria, partim quidem, ut ad fati fui iteratam excitarentur memoriam, partim etiam, ut, mortui, eo certius illum capeflerent locum fepulcri, quem uiui fibi deftinarent. Sic *Sebna* excindit fibi fepulcrum in loco excelfo et faxofo, cuius tamen rei cauffa Deus, indignatus, grauiter eum redarguit. p) Ipfeque Rex *Affa*, in urbe Dauidis, certum, quo condi post mortem cupit, locum fibi parat uiuus. q) Et, quem fugit, ipfum Seruatorem noftrum fepulcro illatum, non recens fofo, fed iam excifo a Iofepho, in fui ipfius pofterorumque ufum. r) Suetum hoc olim Romanorum Imperatoribus, quorum memoria reliquiae corporis Augufti, cremati, conditae funt in Maufoleo, *quod opus, inter Flaminiam uiam ripamque Tiberis, fepto fuo confulatu exftruxerat*, ut teftis eft TRANQVILLVS: s) cuius etiam Maufolei *concamerationes quasdam*, uelut rudera, adhuc cerni, refert BERN. MONTEFALCO. t) Quid ergo mirandum, fi uiuus fibi parat speluncam Iacobus, quae mortui capiat offa. *Fodit* fepulcrum, quod more et ftilo Scripturae intelligendum eft, non, quod, ligone instrumentisque ueffillonum arreptis, exciderit ipfe, fed, quod ope aliorum excindendum curarit. Quo fenfu Pilatus Chriftum *flagellat*, u) Salomo fibi *conficit* lecticam, x) Haman lignum *erigit* pro Mordechaeo. y) Si admirandum uideatur, quod fibi paraffe dicatur speluncam illam Iacobus, quae profecta tamen iam fuerat ab Abrahamo, respondendum eft: Quanquam ea, quae de spelunca, ab Abrahamo emta et acquifita, dicuntur, ueriffima funt, credibile tamen

o) GEN. L. 5. p) IES. XXII. 16. q) t) *Diar. Ital.* p. 233. u) IO. XIX. I. II CHR. XVI. 14. r) MATTH. x) CANT. III. 9. y) EST. VII. XXVII. 60. s) in *Vita Augufti*, cap. C. 9.



men omnino est, Iacobum in eadem, ab auo dudum accepta ac patre, tempore eo, quo Leam, coniugem suam, deponebat in eadem, nouam sibi excidisse specus illius maioris partem, nouamque adaptasse cellam, in corporis sui receptaculum pie consecratam. z) Disputat haec in rem, conuenienter satis, IO. CLERICVS: a) *Vertimus, QVOD MIHI FODI, אשר כרותי, non, quod Iacobum speluncam illam integram, in qua Maiores eius sepulti erant, effodisse, intelligamus, quae forte natura erat effossa, aut saltem ab Abrabamo primum excisa fuit, cum ei Sara illata est; Sed, quia, cum sit ea propria uerbi significatio, posuit Iacobus in eius parietibus locum thecae ponendae sibi cauasse. Notum est, in Cryptarum parietibus, in Aegypto et alibi, excavatos esse loculos, deponendis cadaueribus aptos. Itaque hic קבר keber non dicitur tota spelunca duplex, sed locus in ea excisus. Nam, si respectu habeatur sepulcrorum gentis Iudaicae, hanc, accipimus, sepulcra adamasse hereditaria, quae exhibebant specum, paulo ampliolem, ac longe lateque extentum, multis etiam כוכין siue cellis feralibus refertum, ut docet ex locis ueterum, quos figuris chalcographicis illustrat, IO. NICOLAI. b) Praeterea alios, qui in excutiendis ritibus gentium uariarum sepulcralibus occupantur, QVENSTEDIVM, GYRALDV M, eiusque Explanatorem, IOANNEM FAESIVM. Abundabat enim Eoa regio multis amplissimisque specubus, natura factis, qui tantae erant magnitudinis, ut Loth, cum filiabus, per aliquod temporis interuallum sedes ibi figere, c) Israelitae etiam, metu hostium correpti, in eos se recipere, d) et in Gabaensibus illo inprimis decem millia latere possent Israelitarum. e) Hos Orientis specus per עפל et עפלה apud Prophetam f) intelligi, erudite conicit SAM. PETITVS, g) qui explicat inde oracula complura. Specus Arabum et testimoniis IOSEPHI, aliisque fontibus, copiose et eruditissime delineat STEPH. LE MOYNE. h) Quae hodierna sit eorum facies, in Arabia, in Aethiopia, ad ostium Nili, a quibus domus extractae, uariae etiam urbes, aquarum copia, trium millium equorum stabulantium numerus, plura, capi possunt, referunt TAVERNIERVS, RAWWOLFIVS, TROILO, CHARDINIUS, alii. Sed hae speluncae*

B 2

z) Vid. Vener. PARENS, in *Bibl. Exeg.* IVD. VI. 2. e) IVD. XX. 33. f) ad b. l. a) *Comment. in Genes.* p. 314. HABAC. II. 4. g) *Var. Lect. L. I.*  
 b) *De Sepulcr. Hebr. L. III. c. XI.* c. 13. p. 51. 199. h) *Var. sacr. T. II.*  
 p. 175. 199. e) GEN. XIX. 30. d) p. 821. 199.



ipsis in petris Orientis, aspectu horridis, infanaeque molis, erant excisae, a quibus Christus, *ἐν ὄψεσιν*, Petra Salutis dicitur. Est enim non solum Syriae solum *ὑποπετρον ἐπὶ πλείον* THEOPHRASTO: i) Sed, terram Hierosolymitanam etiam *Saxosis montibus asperari*, HIERONYMVS dixit. Ipsamque Palaestinam solum habere *πετρώδες, Saxosum*, atque ad LX stadia *ὑποπετρον, Petris substratum*, STRABO k) testis est. Cuius loco quodam abutitur IO. TOLANDVS, l) exinde uniuersae confingere Palaestinae sterilitatem nefarie annisus, ideoque notatus, *in defens. Mos. et Gent. Iud.* a IACOBO FAY, itemque a Viro Celeberr. SAL. DEYLINGIO. m) De ipsa etiam terra Hebronitica, in qua cubant patres, audiamus Iudaeos, in MASS. SOTA, qui locus excerpitur a WAGENSEILIO: n) *אין לך טרשים בכל איזן ישראל ויתר מחברון דהוּוּ בה קיברי שכבום* *Non plures exierunt Petrae in uniuersa terra Israelitica, quam circa Hebronem, quapropter ibi fiebant sepulera dormientium.* Hae ergo Petrae, quibus referta est terra Eoa, sicuti multiplicem in Oriente afferebant usum, sic inferuebant inprimis *mortuorum Conditorii*, ubi, quae natura iam erant facta, arte emendabantur et expoliebantur, ut et elegantiae plus haberent, et utilitatis. Si lumen rei huius requiras amplius ex consuetudine gentium aliarum, remittimus te ad *Cryptas illas Sepulcrales*, quarum fama totum terrarum orbem est peruagata, quaeque, latissime extentae, scriptoribus dicuntur *Antra, Loca Concaua, Specus, Cauernae, Meatus Subterranei, Fossae Testudinariae*, Graecis, *Hypogaea*. Citentur potiores, atque inter eas *Cryptae Romanae*, seu *Catacumbae Martyrum*, ut creditur, *Cryptae Arenariae*, quo alias uocantur nomine, de quibus ONVPHR. PANVINIVS, o) PAUL. ARINGHVVS p) et FR. MARIA TORRIGIVS, q) exposuere: praeterea *Cryptae Aegyptiacae*, de quibus ATHAN. KIRCHERVS: r) *Cryptae Kiouiensis*, in Polonia, quas, praeter INNOCENT. GIZIELLVN, Archimandritam Kiouiensem, *in Epist. ad Herbinium, A. 1574.* descripsit ipse HERBINIVS, libro singulari. Videbis iam, quomodo sit existimandum de *Specu Patriarcharum Sepulcrali*, qui *מערה* dicitur a *denudando*, locumque indicari, et natura. excauatum, et arte ulterius perpolitum, ac multo la-

i) *De Cauf. Plantar. L. III. c. XXV.*  
k) *L. XVI. Geogr.* l) *Origin. Iudaic. p. 139. sq.* m) *Obseru. Sacr. T. II. p. 147. sq.* n) *in SOTA, p. 724.*

o) *Lib. de Coemeteriis c. XII.* p) *in Roma Subterranea.* q) *in Cryptis sacris Vaticanis.* r) *in Oedipo Aegypt.*



labore, apparatuque instrumentorum, confectum. Ita enim capiendum uerbum כרה, unde כרית est, quo laboriosissima denotatur sepulcri excisio in scopulis, salebra, moleque petrosa et arenaria. Responder huic structura Sepulcri Christi, quod Iosephus *ελατόμησεν εν τη πέτρα*; s) MARCO est *μνημειον, λελατομημεινον εν πέτρας*, t) LV. CAE, *μνημα λαζουτον*, u) cuius, aequae ac reliquarum petrarum circumiacentium, lapides, fissa Salutis Petra, *εγκαξαν*, ut praedixerat Ipse. x) Nam, quae CLAUD. SALMASIVS, *ο πανυ*, de sepulcro hoc, in terra fosso, lapidibusque politis ac caesis strato et aedificato, excogitauit, y) haec, cum aliis, confutat singulari industria PETR. ZORNIVS. z) Quo ergo modo Iosephus, multo labore in excindenda Petra infumto, sepulcrum sibi conficit, eodem Iacobus, in Terra adhuc Sancta commoratus, in Petris Hebroniticis et Spelunca patria, כרך *foramen* quoddam, uel *receptaculum* sibi parat, in quod post mortem inferri queant corporis reliquiae, quanta cupiditate in focietatem dormientium ibi uenire flagret, satis superque testatus.

## VI.

Ad magnitudinem desiderii huius explorandam ulterius, illud obseruasse, dulce erit, quod, quaecumque hic praecipuntur, agantur a *moribundis*. Testentur hoc acta Patriarcharum, in iisque audiatur Iacobus, mandatum suum orditus: *אמסא אל עמי colligor ad populum meum*, a) et: *הנה מות ecce morior*. b) Comparetur locus alius, quo, quicquid hic agitur, factum dicitur, *cum accederet tempus מות ישראל mortis Israelis*. c) Concors est historia Iosephi, ob uerba praemisissa: *הנה מות ecce morior*. d) Quae quidem tanto minus lectorum praetereunda sunt incuria, quanto maiorem uim effatis inesse moribundorum, rerum intelligentes largiuntur. Digna, quae transferantur ad posteros, TRANQVILLVS e) habuit uerba Augusti Imperatoris ultima, in quibus deficit: *Liuia, nostri coniugii memor uiue, ac uale*. Conferas animaduersionem illam eruditam IAC. GVThERII, f) aegris olim, affirmantis, circumsternisse

B 3

cogna-

s) MATTH. XXVII. 60. t) XV. 1730. a) GEN. XLIX. 20. b) GEN. 46. u) XXIII. 53. x) MATTH. L. 5. c) GEN. XLVII. 29. d) XXVII. 51. LVC. IX. 40. y) in GEN. L. 24. e) Vita Augusti, Cap. Solinum, p. 851. sq. z) Disp. de Sepulchro Christi, ex Petra exciso, Sedini, XCIX. f) de lure Manium, L. I. c. XII. p. 73.



cognatos, moribundorum uero ac deficientium *affedisse lecto proximiores, quo ultima uerba attentiores exciperent.* Neque ignoramus, uaticinandi facultate moribundos credidisse praeditos complures ueterum. Hinc moriens Hektor Achilles nunciat interitum in portis Scaeis, apud HOMERVM. g) Taceo, quae Socrates differit moriturus, HOMERI nixus effato, apud XENOPHONTEM. h) Hoc dubitatione caret, Iacobum, Iosephum, Moſen, Eliam, ſpiritu prophético, mentes, futurorum ſcientia colluſtratas, ante obitum declaraffe. i) Quemadmodum igitur morti proximorum et uerba, et facta, conſideratione ſolicitori digniſſima ſunt, nullumque deſiderium habetur uehementius, nullum praeceptum ſanctius, niſi, quod proficiſcitur a moribundis, uoluntatem ultimam cum ultimo ſaepenumero ſpiritu edentibus, difficile intellectu eſſe nequit, quanta illorum animos Patrum inceſſerit cupido, quam ſeuerum fuerit mandatum, quod praefcripſerit uterque, non procul a faucibus mortis ſeiunctus. Atque, ut eo certius comperes ſiant eorum, quae flagitant, uerbis utuntur blandis: *חַסְדִּי וְרַחֲמֵי עֵשֶׂת עִמִּי עֲשֵׂה* exhibeas mihi gratiam ac fidem, praecedentibus aliis, aequè mollibus: *כִּי בְעֵינַיִךְ נָחַמְתִּי וְעַתָּה מִן עֵינַיִךְ אֶשְׂאֵל* ſi quaeso inueni gratiam in oculis tuis. k) Quae tamenſi omnino a dignitate principali, qua fulget in aula Pharaonis Iosephus, acceſſi queant, ut docet, cum aliis, Chariff. PARENS: 1) Deprehendere tamen uidemur nobis, praeter hanc cauſſam, ueſtigium clariffimum, ex quo ad Deſiderii huius pondus ſit argumentandum. In petendo enim, ſuadendoque, ſermone utimur blando mellitriſque uerborum globulis, unde, quo uehementior eſt petitio, eo dulciora ſuunt uerba, ne, quod petimus, recuſetur. Accedit, quod non in lectulis ſolum aegrorantium Patriarcharum uerba huiusmodi fuerint edita, ſed quod exiterint etiam eorum ultima omnium, quae diuiniſ conſignauit Codex. Profecto enim, de Iosepho aegro, nil legas literis proditum, praeterquam de egreſſione Iſraelitarum uaticinium, ac deſiderium praefens Sepulturae, in Terra Sancta conferendae. Quo facta, Moſes ipſum ſtatim ſubnectit obitum. m) Quodſi uero oculos conicias illius in patrem, Iacobum, prorfus haec uerba, deprehendes, eſſe illuſtria, uicibus repetitis ab eo prolata. Quod clariſſe copioſiusque edif.

g) *Iliad. X. 358.* h) *Apolog. pro Socrate, 14. ſqq.* k) *GEN. XLVII. 29.* l) *Opp. p. 707.* i) *DEVT. XXXIII. Bibl. Exeg. ad b. l.* m) *GEN. L. 24. GEN. XLIX. L. II. REG. XIII. ſqq.*



ediffererem in praesenti, nisi, infra explanate hoc docendi locum fore, perspectum haberem.

## VII.

Quis est, qui non ex haecenus dictis intelligat, haud esse de nihilo, quod flagitent patres, neque aliquid, quod posterorum relinquantur arbitrio, sed sancte seueraque sit iniunctum. Interea magnum adhuc superest momentum, tanto curatius, antequam ad causas fiat digressio, inuestigandum, quanto insigniorem vim addit Patrum Desiderio: Solennis uidelicet illa, per *Iusiurandum*, ad Sepulturam, in Terra Sancta procurandam, adstrictio. Ita enim, ad Iosephum filium, Pater moribundus, שים נא ירך תחת ירכי *pone quaeso*, inquit, *manum tuam sub Femur meum*. n) Ad quod iuramentum Iosephus prouocat, ubi uenia petenda est a Pharaone. o) Idemque illud poscit Iosephus ipse, morti proximus: ישביע את בני ישראל *Adiurauit filios Israelitum*, p) quod commemoratum denuo legas in Exodo. q) Ac Iusiurandum quidem Israelitarum, Iosepho praestitum, ueri nominis Iusiurandum est, quanquam modus ipse haud describitur. Meminit huius FLAVIUS, r) postquam translationem commemorauerat ossium Iosephi: *ἵστας γὰρ αὐτῶν ὁ Ἰωσήφους ἐξέσπασε*. A Iacobo autem illud poscitur, *subiecta*, more temporum, *sub Femur manu*. Discrepant, quod haud diffitemur, uersionis Graecae Editiones, inter quas *Wecheliana*, itemque, ex obseruatione LAMB. EOSII, *Aldina*, ὑπὸ τὸν μηρὸν μὲν exhibent, intellecta parte femoris *superiori*. At aliae, inter has ipsa *Bosii*, cum *Grabianna*, itemque ea, quae *Biblis* inserta *Waltonianis* est, *inferioris* rationem habentes: ὑπὸ τὸν μηρὸν μὲν. Vbi tamen posterior lectio merito habetur praestantior, non ob IOSEPHUM tantum, qui manus dicit positas ὑπὸ τὸν μηρὸν, s) sed ob praecedens etiam in Graeca illa uersione ὑπὸ τὸν, maxime uero, ob uoculam תחת *sub*, in textu sacro expressam. Verum, ad rem ipsam ueniamus, de qua in varias flectuntur partes interpretum cogitationes. Repudianda omnino sententia est Viri, sua in arte, ubi ea haud abutitur, doctissimi, cui, per ירך non *Femur* notari, sed *Dextrae Carpum*, uerisimile est; asserendumue cum omnibus, qui recte de rebus grauioribus sentiunt, et ירך et *Mheron Femur*

n) GEN. XLVII. 29. 31. o) GEN. L. r) *Antiqu. Iud. L. II. c. IIX.* s) *Antiqu. 5.* p) GEN. L. 25. q) *XIII. 19.* *Iud. L. I. c. XVI.*



*Femur* esse, siue eam partem, quae, nentri subiecta, humani corporis molem sustinet, ne, solidiori priuata fulcro, atque eneruata, concidat. Quam etiam uidemus causam esse, quamobrem, dictione eadem Hebraea, *basis et fulcrum*, aureum sustentans Lychnuchum, appelletur. Certe IVL. POLLVX t) per *Μῆδον partem* intelligit *corporis, extensam usque ad genus*, neque discedunt a sententia illius Graecorum alii. Subiicitur ergo manus *Femori*, et illius quidem, cui iuratur, non, qui iuramentum praestat. Quae enim de manibus, *ὅτι τὸ τῆς μῆδος ἀδελφῶν* submissis, tradit FLAVIUS, u) de mutua accipienda uidentur promissione, qua iurat uterque, alterque adstringitur alteri. Interim quaeritur adhuc de re ipsa, quae tam insignis, tamque illustis est, uel ipsum *ὄγκος* uocabulum apud Graecos suos obere natales Hebraeorum *גִּיד* uel *Femori*, censeat HENR. AINSWORTH, Explanator Geneseos Anglicanus. x) Dicit egregius Archaeologiae Indicae conditor, loco citato, hoc Iurisiurandi genus *πίσις μυγάλας*, quis nihili faciendam esse, reatur, significationem illius, praesentique indignam explanatione. Referunt igitur, ad *Circumcisionis sacramentum*, cum R. SALOMONE duo Paraphraetae Chaldaeorum, PSEVDO-IONATHAN EI HIEROSOLYMITANVS. HUGO GROTIUS, *Femur* considerans, ut *gladii gestandi locum*, y) hoc interpretatur sensu: *Si fallam, Ense tuo peream*. z) Si audias SEB. SCHMIDIVM, subest imprecatio, *femori* iniecta: Si, quod iuramenti fide polliceor, haud fecero, *concidat mihi Femur meum*. a) Cui tamen magni Viri interpretationi hoc ob stare uideretur, quod manus non fuerit subiecta *Femori* iurantis, sed *iusiurandum postulantis*, cui dira quis imprecari nequit. Sunt adhuc numero haud pauci, quibus consuetudo illa Patriarchalis testimonium exhibet *subiectionis* atque *obsequii*. Adeatur ABR. CALOVIUS, b) IO. CLERICVS, c) imo, Interpret alius Doctissimus, ANDR. RIVETVS, d) qui confert rationem loquendi Francogallorum, quibus *embrasser la Cuisse, amplexari Femur*, idem est, quod, summam testari reuerentiam. Si tandem euoluas IO. FR. BVDDEVM, e) et IOANNEM NICOLAI, f) plane eos τὸ ἐπιχειρῆσαι certae definitaeque praetulisse sententiae, intelliges. Sed, quid opus est

t) Onomast. L. II. segm. 187. p. 245. u) Genes. p. 286. b) Bibl. Illustr. T. I. p. 1. c. x) Vid. IO. NICOLAI Diatr. 293. c) in Genes. p. 161. d) in Genes. p. 161. e) Hist. Eccl. c. 1. p. 4. y) PS. XLV. 4. z) Comment. ad Gen. XXIV. 2. a) Comm. in XI. p. 133.



est plurium enarratione opinionum, quae animum nostrum, dubiis implicuit, varias in partes flectunt. Ingredivimur nos in piam Patrum Ecclesiae veteris, HIERONYMI, AMBROSII, CHRYSOSTOMI, quorum fit mentio apud CALOVIVM et CLERICVM, sententiam, defensam etiam a POLYC. LYSERO g) ipsoque B. LVTHERO, h) cum quibusdam aliis, dicimusque, *Femoris* rationem fuisse habitam, veluti *sedis humanae generationis*. Prouocare possemus ad eos, quos excitat DIODORVS, in *Carenis*, apud MONTEFALCONEM, i) qui, Syrum, aiunt, et Hebraeum uoce sua notare *παιδογονον βεγαρον, instrumentum prolificum*, ut transfert Interpres Latinus. Sed lucem *Φεάσως* accipe praesertim ex alia, qua ירך יצא egressi e *Femore* sunt nati, editique in lucem. k) Adiungas historiam *Sotae*, ut uocabulo utar Talmudicorum, hoc est, mulieris, adulterii accusatae, cui, si conuicta esset, aquae illae amarae, sub uoce horrida execrantis sacerdotis exhaustae, producebant ירך נפלה *Femur flaccescens* et *collapsum*, sublata concipiendi pariendique facultate. l) Compares, quae disputantur a Mischnicis Doctoribus ac Gemaristis, in opere Talmudis utroque, Babylonico et Hierosolymitano, ipsisque Christianis Explanatoribus, WAGENSEILIO atque ACOLVTHO, ad MASS. SOTA, Legemque diuinam. Sic *Femur nudatum*, sensu haud dissimili, in historia legas Iudithae. m) Transeo alia, uerecundiae studiosus, quae recte tamen, castaeque, in sacris proponuntur, ut WARLIZIVS ostendit. n) Interfero pauca aliunde, illustrationis causa. Bacchum e *Femore* prodiisse Iouis, cum docent Mythologi, quid aliud uolunt, quam ipsam illius ex hoc *generationem*, ut recte exponit SAM. BOCHARTVS; o) quanquam, alios fabulam ipsam ex non recte intellecto nomine *Megs* deducere, me non lateat, p) quorum sententiam cum priori conferendi locus hic non est. De *Beniamine*, Martyre, ex *Historiae Tripartitae* conditoribus refert idem, quem excitauit, BOCHARTVS, loco alio, q) calamum immisum acutum in *Femur* illius, unde *humana origo descendit*. *Μηρόν χρυσεόν, Femur Aureum*, quod aliquando, in Iudis Olympicis, AELIANO, PLYTARCHO, IAMBELICHO, MALCHO, testibus, conspectum fuit

C

B) in Iosepho, p. 447. h) Comment. in Med. de Modestia Script. S. in rebus ue-  
 Genes. c. XLVII. 29. i) Hexapl. O- recundis, p. 63. sqq. o) Pbaleg, col. 442.  
 rig. T. I. p. 36. k) IVDIC. IIX. 30. p) DION. PERIEG. u. 940. [et quae  
 EXOD. I. 5. GEN. XLVI. 26. l) ad h. l. in Comment. notat GVIL. HILL,  
 NVM. V. 21. 22. m) IX. 2. n) Diff. p. 442. q) Hier. T. II. col. 758.



fuit in Pythagora, τὸ θῆλον indicasse, e Femore Apollinis patris, per generationem Pythagorae collatum, scienter edoctum est ab aliis. r) Ipsisque profecto grammaticis Femur est ab obsoleto Feo, unde sicut est Ferus, Femina, ita consimiliter Femur, Femen, Femora, Femina. Sic VOSSIVS, s) aliorum suffultrus consensu, quos praetermitto. Intelliges iam, subesse sub solenni illo Iurisiurandi genere arcani quippiam, quod redeat ad eum, qui egredi aliquando debuerit e Femoribus Patriarcharum ac Lumbis, ipsumque illum ritum testimonium exhibere Fidei Patriarchalis. Iurant ergo per Messiam, quem in praesenti sacrosancto uenerantur actu, cuiusque ἰνσαρκώσεως desiderio incredibili feruntur. Auro cedroque digna sunt uerba LUTHERI, loco adducto: *Jacob ebret die Hüfsten um der Verbeißung willen, so die Hüfte gehabt, und um des Glaubens willen an solche Verbeißung. Denn von den Hüfsten Abrahams, Isaacs und Jacobs, solte der Saamen kommen, welcher alle Völcker segnen würde. Denn Gott hat sein Wort, Heiligkeit, Warheit und seine Güte, an die Hüfsten Abrahams, Isaacs und Jacobs, gebunden. Darum ist es ein recht Heilighum gewesen, nicht darum, daß an ihm selbst Fleisch und Blut war, sondern um der Verbeißung willen, so an diese Hüfsten gebunden, und denselben gleichsam eingeleibet gewesen.* Certe, inter Iudaeos, aeuo Seruatoris nostri, in terris ueriantis, formula quaedam extitit, in iureiurando recepta: *אֵרָאָה בְּכַחְמָה* Ita ego uideam CONSOLATIONEM, qua ipsum respectarunt Messiam. Testes cito Codd. Talmudicos, KETHVBHOTH, CHAGIGA, SCHEBHVOH, qui uideantur apud IO. LIGHTFOOTVM. t) Valeat IO. CLERICVS, u) dicat haec a nostris pio animo obseruata, sed contorta et longe petita. Addat etiam, quod fecit, rationem, inauditum esse, iurari per nondum natum, pluraque demum nasciturum post secula. Aio, iurari per Messiam, qui Deus fuit ab aeterno; iurari per Θεῶν Θεῶν, quem fide Patres expectarunt. Sic uilipendenda forsan fuerit omnis Patrum fides in Christum Θεῶν Θεῶν et Redemptorem, qua tamen sola in mortis articulo fuerunt erecti. Tanta est imbecillitas argumenti tanti Viri. Satis dictum de Iuramento, per tantum Femur.

VIII.

r) Vid. Max. Reuer. THEOD. CRV. s) Etymol. L. Lat. p. 209. t) Opp. T. GERI Aureum Femur Pythagorae, II. p. 498. u) l. c. p. 161.  
 ἀποδείξεις eius signam, B. 3. et C. 2.



## VIII.

Sed, quis tandem sit ipse ille locus, a Patribus in Terra Sancta exoptatus, si ex nobis quaeras, generatim, *Hebronem* esse, scias, idque ex ipsius eorum uerbis intelligas. Quae quidem terra Alexandrinis scribitur *Χεβρών*, STEPH. BYZANTIO, x) *Εβρών*, IOSEPHO uarie, *Χεβρών*, *Εβρών*, *Χεβρώνια πόλις*, *Ναβρω*, non ipsius, sed libræriorum culpa, ut ait ADR. RELANDVS. y) De hac plura non dicit, ratione situs, STEPHANVS ille BYZANTIVS, quam, quod sit *πόλις ἐν Χαναά τῆς Ἰσραήλ*. Verbum esse, antiquitate multis antecellentem aliis, uerissimum est, conditam etiam ante Zoanem Aegypti, ut patet ex sacris. z) Vnde septem annis uetustate superare Tanin IOSEPHO dicitur, a) quae cum Zoane, nomine tantum, non re ipsa differt. Eidem Hebron antiquior est Memphi Aegyptiorum. b) Sita urbs in montanis Iudae, c) amoena praedita ualle, d) arboribus etiam confita, e) piscina nobilis. f) Quia ibi cubant Patriarchae, medio aevo *Sanctum Abrahamium* dicta est, secundum RELANDVM. g) Si ad originem reuocæs nomen, *חברון* significare, CYRILLVS notat, h) deductum a *חבר* sociari, ut structura docet uocis, licet ratio appellationis ignoretur. Alia, ad ciuitatem hanc pertinentia, persequuntur alii. i) Post urbem describitur *Ager*, emptus, ac, soluto argento, acquisitus ab Ephrone Chettaeo. Distincteque ille describendus est, si forte oblitus fuerint, tanto interiecto temporis spatio, sepulcri patrum poster. k) Adiacet ager hic ad fundum *Mamre*, ex incuria quorundam commiseri solitum cum *More*. l) Notentur EUSTATHIVS et IULIVS AFRICANVS, apud RELANDVM, m) et, qui in loco Mosáico, pro *More*, *Mamre* scriptum exhibent, Interpretes Orientales, SYRVS et ARABS. Iungatur *Scholium* quoddam in *Bibliis Graecis*, ubi apparet *ἰσος θεῶς Μαυβρον*, uoce *Mamre* pro *More* scripta, eodem errore, secundum CARTWRIGHTVM, libro et loco citato. Quorum tamen

C 2

loco.

x) de Urbib. et Pop. p. 251. y) Pellacq. p. 527. Conf. EDVARD. BERNARDI Not. ad IOS. Ant. Iud. I. 9. T. I. p. 30. Ed. HAVERCAMP. z) NVM. XIIII. 23. a) Ant. Iud. L. I. c. IX. b) de Bello Iud. L. IV. c. XXXI. c) IOS. XX. 7. d) GEN. XXXVII. 14. e) GEN. XXIII. 17. f) II. SAM. IV. 12. g) l. c. p. 527. h) Homil. Pasch. XXIII. i) CHRIST.

CELLAR. Notit. Orb. Ant. T. II. p. 566. THOM. DE PINEDO, ad Steph. Byzant. p. 251. SAM. BOCHART. Not. ad Steph. Byzant. Vid. El. Geogr. S. p. 809. k) Ita MERCURY ap. CARTWRIGHT. in Elect. Targum. Rabb. in Genes. p. 457. itemque Charist. PARENS, Bibl. Exeg. GEN. XLIX. 31. l) GEN. XII. 6. m) l. c. p. 1007.



locorum uterque distinctissimus est. *More* enim in regione situm Cananaeorum est, *Mamre* in Emoraeorum; *More* in agro Sichemico, *Mamre* in Hebronitico; *More* illud terrae spatium, ubi prius uixit Abrahamus, *Mamre*, quo postea ex loco *More* uenit. Nominis origo repetenda uidetur a Mamre, fratre Escol et Aner, cuius domicilium ibi exitit. n) Venitur tandem ad *Machpela*, de quo loco, quid sibi uelit, quaeritur. Qui ad *Speluncam* referunt, nomen habent pro appellatiuo, deriuato a  $\text{לפס}$  *duplicauit*, unde *speluncam* reddunt *duplicem*. Sic LXX. in τῷ σπηλαίῳ τῷ διπλῷ. VVLG. in *Spelunca duplici*. Aliis ipse *Ager* est *duplex*. SYRVS:  $\text{ܟܠܝܢܐܘܬܐ}$   $\text{ܟܠܝܢܐܘܬܐ}$ , in *spelunca*, quae est in AGRO DVPLICI. *Speluncam duplicem* interpretantur et alii ex Paraphrastis gentium Orientis. Ex quo factum, ut multae intercedant lites inter doctiores, et Sepulcrum Abrahami *Labyrinthum inextricabile* uideatur WAGENSEILIO. o) Duplicitatis sensus a uariis exponitur uarie. Appellari ita *speluncam*, ob *duas cellas*, quarum altera mares ceperit, altera feminas, PROCOPIVS ratus est, cum MENOCHIO. Alii, ob *duas portas*, uel *exitus sepulcri*. Graeci uocant ἀφιδύμα σπήλαια, τὰ διπλᾶ. Alii, ob *cavernam duplicem*, quarum altera exterior, eaque maior, minorem interiori ambitu suo comprehenderit. Ita ABEN ESRA. Alii, ob *duo foramina*, *duasque cellulas*, pro corporibus confectas, quae opinio est STEPH. LE MOYNE. q) Alii, *fossam* et *speluncam* distingui, uolunt, ut per fossam aditus credatur ad *speluncam* apertus, quod HEINSIO uisum. r) Rectius, *Machpela* non appellatiuum, sed proprium nomen esse, dixeris, nec *speluncam* respici, sed *Agrum*. Ita bene ONKELOS, probatissimus Paraphrastarum Chaldaeorum. Clarissime enim *Ager* nuncupatur *Machpela*, distinctionis causa. s) Quando autem *Machpela* cum *spelunca* componitur in loco alio, r) uera et accurata uersio non est, *spelunca Machpela*, sed, *spelunca Machpelae*, ut ea significetur *spelunca*, quae agro, *Machpela* dicto, adiecta, ipsoque illo in agro sita fuerit, eam cum agro atque posseffa.

## IX.

Sequitur iam caput rei, et laboris nostri pars nobilissima, quae *Causas* inuestigar, Patres moribundos ad tantam sepulturae suae curam

- d) GEN. XIV. 13. o) in SOTA, p. *starch. sac.* p. 522. s) GEN. XXIII. 291. p) SALMAS. ad Solinum, p. 19. in Textu Hebr. add. XLIX. 30. t) 350. q) Var. Sacr. p. 518. r) Ari. GEN. XXIII. 9.



ram compellentes. Quas dum aperire meditatur, prius, quam id fiat, rationes aliorum, minus idoneas, uidemus, explodendas. Riddicula sunt, quae hic Iudaei, sua freti fingendi quiduis, mentiendique, facultate, ratiocinantur, ac pro quibus, per manus traditis, ueluti pro aris pugnant ac focis, ueluti Danais pro nauibus Aiax. Omnem enim causam arcessunt illi a ficta praerogatiua *Terrae Canaan*, ad quam referunt, quod in ea humati *primi omnium e locis mortuorum sunt exciendi*. Reuocentur huc testimonia Iudaeorum complura, quae hic non uacat compilare, quae tamen mortuis in Terra Israelitica resurrectionem assignant, annis decem, secundum alios, centum et quatuordecim, prae sepultis in aliena, sperandam. u) Atque hoc commentum respectum a Patriarchis, clarissime asserunt Hebraei in BRESCHITH RABBA, quorum mentem dat MENASSE BEN ISRAEL. x) Verisimile hic uidetur quibusdam, e uera forsitan antiquorum Kabbala aliquid dimanasse ad Rabbinos, de sanctis illis, eum Messia resuscitandis, eaque postea Doctores illos ad *Messiam suum accommodasse utopicum*. Veruntamen, cum ea de resurrectione nullus appareat locus in libris Vatum diuinorum, quaeri possit, undenam haec peruenerint ad Iudaeos? Respondebitur, ex Kabbala. Sed quaero continuo: Ex quam? Si, ex *pura*, inquis. Cur tacent monumenta sacra? Sin, ex *impura*; Atqui, dico, haec traditione nititur orali, incerta illa ac fallaci. Interim haec non impugnamus, cum uenerint in mentem uel ipsis Viris Doctissimis, qui pluribus tamen ea non asserunt, sed coniecturae instar proponunt. y) Cum hac priori Desiderii Patriarcharum causa arte connexa est alia, ex ipsa Iudaeorum opinione. Hanc quaerunt in frustra exco-gitata illa *Corporum Reuolutione*, quam appellari ab iis, constat, *גלגול הטהרים* *Reuolutionem Mortuorum*, *סוד גלגול* *Arcanum Reuolutionis*, *גלגול המחלות* *Reuolutionem Cauernarum*, h. e. per caeuernas factam, *צער גלגול* *Angustiam Reuolutionis*. Ipsam autem eorum ea de re sententiam accipe iam paucis. Aiunt illi, tempore resurrectionis mortuorum, postquam mortui Terrae Israeliticae e suis, primi omnium, exciti fuerunt sepulcris, relictos quos pariter, in terris extraneis, atque, ut loquuntur, pollutis, hoc

C 3

u) EISENMENG. Entdeckt. Indentb. P. II. p. 201. sqq. x) de Resurr. Mortuor. L. II. c. 11. y) IO. BEN.

CARPZOV. Diff. de Sepult. Iosephi, in Diff. Acad. p. 1638.



hoc est, gentium, humatos, excitandos esse. Hos autem non, pergunt, prodituros e terra, ubi cubent, sed corpora sub terra esse uoluptanda, per caernas profundas, per uoragines tenebricosas, per meatus subterraneos, quos Deus, certorum angelorum adiutus ope, conficiendos curet, secundum alios nero, ipse confestim excindat. Reuoluenda autem esse, per meatus, corpora, ueluti per cellas uinarias dolia, ut dicitur in MASS. HIEROSOL. KILAIM, secundum alios, in PESIKTA RABBETA, instar saccorum scorteorum. Hoc Reuolutionis negotium cum multis, addunt, coniunctum doloribus et cruciatibus, toties multiplicandis, quoties transferantur corpora in ditionem aliam, teste Libro SOHAR. Resurrectionis locum quidam Galilaeae, plerique monti Oliuifero, assignant, ubi aperiendam pronuntiant terram, corpora suum receptura esse spiritum, antea expectantem, ipsosque homines uerae tum demum participes fore resurrectionis. Neplura, citentur hac de re libri Iudaeorum, ex antiquioribus IALKVT, TANCHVMA, MASS. KILAIM, SOHAR, TARGVM in Canticum, MASS. KETHVBHOTH, ex recentioribus R. DE TRANA, R. MEIER BEN GABBAI, R. ISAAC ADARBI, ex quibus aliisque fontibus, uniuersam hanc latissimeque patentem doctrinam, quae magni omnino Iudaei momenti censetur, summatim recensent IO. BVXTORFVS, z) IO. BEN. CARPZOVIVS, a) THEOD. DASSOVIVS. b) Haec igitur omnia, cum expendissent Patriarchae, tanto, aiunt Iudaei, captos eos Desiderio. Ne enim tam immenso excrucientur dolore, neque tam molestum, ac subterraneum suscipere teneantur iter, ex Aegypto in Terram Sanctam, expetiuisse eos Sepulturam ipsa in Terra illa, ubi statim e loco sepulcri progredi aliquando liceat. Ita R. SAL. ISAACIDES ad uerba: *Noli me sepelire in Aegypto*, tribus causis hanc praemittit: שאין מייתי הוצה לארץ חיים אלא בצער גלגול המחרת *Quia mortui extra Terram Sanctam non reuiuiscunt, nisi per dolorem Reuolutionis per caernas.* Sufficiat hic e pluribus, quos excitare nolo.

## X.

Sunt adhuc praerogatiuae quaedam aliae, quarum participes futuros, opinantur Iudaei, quos Terrae Sanctae uiscera capiant, praeeiis, qui in extraneis regionibus fuerint tumulati, quasque constituent

z) Lex. Talmud. col. 439. sq. a) Diff. furr. Mortuor. c. VI. fere integro. Academ. p. 1682. sq. b) Traët. de Re-



tuunt caussas tanti Desiderii Patrum. Sic R. Chanina dixit, sepul-  
tis in terra extranea duplicem subeundam esse mortem, prouocans  
ad locum quendam Propheticum. c) R. Iosua, de sepultis in Terra  
Sancta ualere oraculum: *Ambulabo coram Domino in terra uiuentium.*  
d) Haec enarrantur in BRESCHITH RABBA, e) itemque apud ABAR-  
BANELEM, f) ubi et alia, de expiatione peccatorum per sepulturam  
in Palaestina, extat sententia, hac historia inuoluta. Videlicet, ali-  
quando ante portam urbis Tiberiadis ambulans R. Iehuda et R. Elieser.  
Vident, arcam cum corpore demortui hominis ex regionibus gen-  
tium transferri in Terram Israeliticam. Quaerit R. Iehuda, quid  
commodi sit expectandum homini, in regionibus extraneis mortuo,  
et in Palaestina sepulto? Forte, addit, de eo dictum esse illud IER-  
EMIAE. g) Cui responder continuo R. Elieser, per translationem  
hanc humanorum corporum *expiari* peccata eorum, in uita com-  
missa, confirmandam sententiam suam effato Mosaico. h) Verum, has,  
quas produximus, pluresue alias Terrae Cananaeae laudes et praero-  
gatiuas persequi taedet. Interim obseruamus, quod haec uerissima  
sit ratio, cur non tantum Iudaei scribant: כל הקבור בארץ ישראל כל  
המזבח כאילו קבור החת המזבח *Quicumque sepultus est in Terra Israeliti-*  
*ca, haberur, ac si sepultus esset sub Altari:* i) Sed, quod etiam Iudaeo-  
rum quidam, alibi uita functi, translati fuerint post obitum in Terram  
Canaan, alii, morti proximi, ut in Terram illam post mortem certo  
transferantur, flagitarint, alii, mortis timore percussu, uel aegri eo  
se transferendos curarint. Sic ABEN ESRA, clarissimi inter Iudaeos  
Doctor nominis, in Insula Rhodo commoratus, obit, at corpus de-  
portatur in Terram Israel, et in regione Cabul conditur. k) Cito  
etiam uerba R. BENIAMINIS, in specus Patrum sepulchralis descriptio-  
ne haec referentis: שם חבות מלאות עצמות מישר' שחיו מביאים שם  
שם מיתיהם בית ישראל כל אחד וא' עצמות אבותיו ומניחם  
הזה שם עד היום הזה *Ibi uisuntur dolia, referta Israelitarum ossibus,*  
*quia huc deportant mortuos suos Israelitae, singuli ossa patrum suo-*  
*rum, ibidemque deponunt usque ad hunc diem.* l) Inter desideria uero  
referatur illud MAIMONIDIS, de quo GREGOR. ABULFARAGIVS: m)

Morre

- c) IER. XX. 6. d) PS. CXVI. 9. e) THVBH. f. III. I. k) IVL. BAR.  
Sect. 96. f. 518. 2. f) Maïene Haie-  
schwab. f. 50. col. I. g) II. 6. h) in ADRIAN. RELANDI Anal.  
DEVT. XXXII. 43. i) COSRI. Rabb. 1) Itinerar. p. 49. ed. PEMPE-  
P. II. §. 22. Add. GEMARA KE-  
REVR. m) Histor. Dynastiæ. p. 297.



Morte imminente, heredibus suis in mandatis dedit, ut, ubi defuisset corpus olere, ad Tiberiadis lacum translatum illud, ibi sepelirent, quod ibi essent multorum e piis apud ipsos sepulcra, quod et factum est. Quod desiderium nostro patriarchali simillimum est, si vera sunt, quae, aduersante licet Libro SCHALSCHLETH, cum SCHVLLAM tradit LEO AFRICANVS, Maimonidem Cairi, in Aegypto, obiisse, unde et euentus mirabiles, in deportatione cadaveris huius ex Aegypto in Terram Sanctam, IVCHASIN refert cum SCHEBHETH IEHVDAI n) De ipso tandem itinere, instituto a multis Iudaeorum, differentem audiamus IO. BVXTORFIVM: o) *Mibi saepe revererunt Iudaei, opulentiores suae gentis et pietati addictiores vel hoc solo nomine in Terram Israelis proficisci, ut post mortem corporibus suis quietem concilient, et de sua resurrectione tanto sint certiores.* Profecto, R. Iuda Selket, Archisynagogus Vindobonensis, uti in Praef. ad R. IEDAIAE Bakkascham refert HILAR. PRACHIVS, et ex hoc CARPZOVIVS, p) eiusmodi iter ante obitum suscepit in Palaestinam, spe fretus, fore, ut ibi expiret, atque a dolore inprimis Revolutionis liber aliquando habeatur. Verum, delatus hoc itinere in Pannoniam, morte praeventus, extinctus est, eoque in loco, siquidem de itinere corporis mortui tanto nil relatum legimus, sepultus videtur. Sustinenda igitur ipsi est, si non Vindobona, ex Pannonia tamen, Revolutio per terrae uoragines in Palaestinam, neque itineris suscepti insignem aliquando fructum capefferet. Sed, reliquantur haec Iudaeis.

## XI.

Late patent haec, quorum pertaesum iam est, Iudaeorum commenta, quibus tamen uerbo tantum paucas adhuc subtexemus eorum sententias, de Desiderio illo Patriarcharum. *Prima* est RASCHII, foedam hanc in sententiam ingressi, praevuidisse Iacobum moribundum spiritu prophetico, quod pulvis terrae Aegyptiacae converti aliquando debeat in כְּבִישׁ, eiusque rei metu correptum, ne idem accideret aliquando sui corporis pulveri, renuisse ea in terra sepeliri. q) *Secunda* est, sustinendam esse singulis, in terra illa iacentibus, poenam חבט הקבר *Percussionis in sepulcro*, iis infligi solitam a mortis angelo, qui ad huius quaesita respondere nesciant, quod figmentum

n) Cf. B. WOLFII *Bibl. Hebr. T. I. p. 863.* o) *de Synag. Ind. c. III. p. 38.* p) *Diff. de Sepult. Iosephi. Vid. Diff. A. cadem. p. 1683.* Add. EIVSD. Not. ad SCHICKARDI *Mischp. Hammelech, p. 203.* q) Ita ille ad GEN. XLVII.



mentum et ad Mohammedanos, credentes, idem a duobus angelis, *Monker* et *Nakir*, fieri, transiisse, Max. Reu. NEUBAVERVS monuit. r) Tribuit autem metum istum Patriarchis ELIAS LEVI in *Thisbi*, cum eoque RASCHI, Glossator Talmudis. *Tertia*, redire eo debuisset materiam Patriarcharum; unde orta fuerit atque excisa, quod non factum in Aegypto, sed in Terra Sancta. Ita R. IS. ADARBI, supra adductus. *Quarta*, eos moribundos praeuidisse, fieri posse, ut, post mortem, corpora haec Aegyptii cultu prosequantur idololatrico. Sic RASCHI, ad GEN. XLVII. וְלֹא יֵשׁוּבֵי מִצְרַיִם עִי. *Ne faciant me Aegyptii Idolum.* Quae sententiae, pariter atque priores, pluribus confirmari possent testimoniis domesticis, quae nobis tamen superuacanea uidentur. Et, quanquam constitutum erat, singulas opinionum harum sigillatim conuellere, tamen, cum multo, ut collabascant, rationum haud opus esse apparatu uideatur, recensio- nem earum confutationis instar fore, confidimus.

## XII.

Quas Romanae Ecclesiae sectatores, fideique illius propugnatores, hic comminiscuntur causas, ab his pariter abhorreamus, necesse est. Hi enim, ut suis, quas, pro uita functis, multo infinitoque labore peragunt, precibus, tanto insignius conferant robur, Patriarchas, aiunt, hac praecipue compulsos causa, hanc flagitasse Terram, *ut participes fiant Precum et Sacrificiorum, in Palaestina oblatorum.* Ita clarissime BELLARMINVS, princeps cohortis huius. s) Respondemus confestim. Temporum tantum rationem habeant BELLARMINVS, et, quicumque tantum sequuntur ducem. Eo sane aeno, quo uiuunt Patres, quoue expirant, nullum in Palaestina uigiuisse cultum Dei publicum, ad loca ac tempora perpetua adstrictum, nullas preces in Templo dictas publicas, nulla oblata sacrificia Leuitica, certissimum est. Ergo uoti sui, illius ex opinione concepti, fieri compotes haud potuisse, ultro relinquunt. Cultum enim hunc Dei in Palaestina, ducentis demum annis post, introductum, accepimus. Sed, demus, quod dandum etiam aliqua ex parte est, sacrificia tum temporis iam fuisse oblata, hostiasque caesas, quis dicere uelit, sacrificia fuisse, pro mortuis, Deo placandis, coniuncta cum uotis solennibus, pro manium quiete. Si demus et hoc, Patriarchas tamen, qui pro mortuis nunquam supplicarunt

D

Numini

r) *de Angelo Mortis*, p. 15, p. 41. 42. s) *L. I. de Purgator. c. IV.*



Numini, quorum animas Deo sciebant commendatas, huius generis preces expetere hic potuisse, haudquaquam euincitur. Neque etiam, si, postulasse eos, probari posset, opus fuisset corporum praesentia. Nam, ipsos Pontificiorum sacerdotes non curam habere, constat, corporum praesentium, sed eiusdem efficaciae reputare officium, pro defunctis, et propinquis, et remotis, susceptum. Ergo corrui sententia magni licet et purpurati Patris.

## XIII.

Descendunt alii ad *Cultum Reliquiarum*, quem non expetitur tantum a Patriarchis perhibent, sed, una cum ipsa *Translatione corporum*, ex facto illo corroborare annuntur. Adeatur iterum BELLARMINVS. r) Quae sententia ut collabescat, respondendum ad utrumque est. Quod pertinet ad *primum*, nunquam, opinor, rationibus ostendetur idoneis, Patriarchas, qui solam expetunt *Translationem* ossium, *Cultum* horum exoptasse moribundos. Sepulturam appetunt in terra, quo pulveri reddatur corpus, ex quo confectum est, quo similes fiant Abrahamo, Isaac, Sarae, Rebeccae, maioribus suis, conditis in terra, eamque capiant quietem, quam aliquando corpus Messiae exanime nacturum in uisceribus terrae, fide praeuidebant. Iam accedendum ad *alterum*. *Translatorum corporum* uno plura exempla ab Ecclesia Romana literis produntur. Excutiantur ea, quae subinde interferit in Libro, de *Seruorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, Card. PROSPER DE LAMBERTINIS. u) De *Translatione S. Antonii*, cuius corporis *λέψανον* aliquod Patavio delatum fuit Venetias in Templum b. Mariae, exponit, eiusdemque rationem describit SERTORIUS VRSATVS, in Lib. *le Grandezza di S. Antonio di Padua*, ut cognoscere licet ex eius *Marmoribus Eruditis*, a Nepote, IO. ANT. VRSATO, Patavii editis. x) Quid fuerit actum a Francogallis cum corpore *S. Firmini*, multis tamen fraudibus intermixtis, discas ex iis libris, qui de *Translatione* eius fuere confecti, THIERSII, MABILLONII, LESTOCQII, aliorum. y) Solam huc reuoco *Translationem* corporis *S. Augustini*, de qua quantum inter ipsos Pontificios litium fuerit subnatum, neminem fugit doctorum.

r) *de Reliqu. sanct.* L. II. c. III. ID. de *sqq.* p. 433. *sqq.* x) ACT. ERVD. *Eccles. Triumph.* L. II. c. XIII. u) *Suppl. T. III.* p. 151. y) *Conf. Cbar.* Recensetur liber in ACT. ERVD. PARENTIS *Ante-Krausius*, p. 294. LIPS. 1740. p. 584. *sqq.* 1741. p. 12. *sqq.*



tiorum. Huius enim ossa ex uno loco deportantur in alterum, non alia de causa, nisi, ut adorationis cultu prosequendi illa subministraretur occasio. Qua quidem de re plura referunt BERN. MONTEFALCO, 2) et IAC. HOMMEY. a) Adiciantur scripta singularia, quae diuulgantur ALBERT. CASTELLANVS, IO. CASP. BERETTA, MICH. COLLIVS, MARIVS CALLINVS, IOSEPH. MARIA BELLINI, plures. Maxime uero uid. IVSTVS FONTANINVS, Archiepiscopus Ancyranus, in Disquisitione, Romae typis exscripta, de Corpore S. Augustini, Ticini repperio, itemque, *Collectio Auctorum et Allegatorum, quibus probatum est, Ossa sacra, Ticini reperia, esse sacras S. Augustini Exuvias*, Venetiis edita a FVLGENTIO BELLELLIO, Priori Generali totius Ord. S. Augustini. Ex quibus plura discere licet, quae persequi hic uerant limites instituti nostri. Quaecunque autem haec fuit Translatio, idololatrica dicenda est, honoris diuini causa, quem nullus possit Sanctorum, susceperit: Quamuis hic, in ipso Ecclesiae Romanae dissensu, uel bello potius, cautione maxima opus sit, ne quis commenta pro ueritate, nubem pro lunone, ut fieri in rebus Pontificiorum affolet, amplexetur.

## XIV.

Iam uero, quomodo *Patriarcharum* illa, et *Sanctorum* apud Pontificios, *Translatio* inter se distet, uideamus. Solius *sepulturae* conferendae causa, ossa transferri Patriarcharum, diximus, litera nixi mandati clarissima. At, alia longe est Pontificiorum Translatio, quae, tantum abest, ut Sepulturae causa fiat, ut *expositionem* potius intendat, quae cultum promoueat publicum, exstructis facellis, arisque ferreis, adiectis aliis, idololatriae plenissimis, a quibus sanctior abhorret religio. Quicquid, cum corpore Iacobi, illius filii, cum Iosephi reliquiis, Israelitae, ipsaeque Moses, agunt, id utriusque moribundi *praescripto* factum est, in יצא expresso. Quod etiam nudum habendum praecipuum non est, sed ipsa iurifurandi religione firmatum. Aliter aeternae procedunt Romanae Ecclesiae, qui praecipuo de Translatione mortuorum inniti nequeunt, siue Dei quoddam exquiratur, siue Sanctorum ipsorum. Neque uero hic controuersia existit de Translatione, generatim spectata, sed de ea duntaxat, quae cum *cultu* coniuncta est *diuino*; non hanc, sed illam, Patribus uindicari, asserunt

D 2

fertum

2) *Diar. Ital.* p. 26. sqq. a) *Supplem. Patrum, Paris. ed.* p. 625, 626.



fertum iam est. Subnecto alia. Transferuntur Patriarcharum corpora, *antequam terrae traduntur*, quandoquidem non tantum Iacobi ossa inhumata erant, sed Iosephi etiam corpus sepultura haud gaudebat perpetua et constanti. At Pontificiorum Translatio saepenumero, non cum sepeliendis, sed cum *sepultris* diu, suscipitur, effractis sepulcris, turbata quiete, dispersis cineribus, disiectis ossibus, quorum tamen se custodem agere uelle, Deus ipse sancte pollicitus est. Transfertur utriusque Patrum corpus *integrum*, non discerptum et dilaniatum, qui tamen Romanae Ecclesiae mos est, manuum, pedum, digitorum, membrorum aliorum, praeda captae. Non se *recipiunt* ad ossa Iosephi peragrantes deserta Arabiae loca Israelitae, aquae penuria pressi, cibi defectu laborantes, ignitis compuncti serpentibus, aliis afflicti agitatieque periculis, quod fieri tamen superstitione Romana, notissimum est, neque hic exponendum uberius uideretur. Non *ostenduntur* Patrum ossa denique, constituta in loco sublimi, in quo spectari, coli, adorarique possint, sed oculis subtrahuntur omnium, terraeque in uisceribus conduntur, nemini unquam postea conspicienda. Satis dictum, ad indagationem discriminis utriusque Translationis. Vnum est, quod praeterire nolim. Video, BARRADIVM, inter *Ossa Iosephi Mortemque Christi*, quandam excogitasse comparationem. *Quemadmodum Israelitae*, inquit ille, *Ossa tulerunt Iosephi, ita nos Mortem Christi, Possionemque, seramus in hac uia, qua in terram promissam tendimus. Ioseph adiuuauit fratres, ut secum portarent eius Ossa: Christus fratribus suis et discipulis praecepit, ut seruent eius Mortem, idque stupendum in modum. Instituit enim stupendum Eucharistiae sacrificium.* Quae adducuntur ab ANDR. RIVETO, b) improbanturque, caussa licet non indicata. Sed, recte omnino improbari, existimandum est, cum non alia mente pronunciaffe haec uideatur BARRADIVS, quam, ut fulcrum afferatur *superstitioso Corporis Christi* apud Pontificios *cultui*, quo illud, tum in incremento illius, ut dicitur, seu Missae, sacrificio, expositum in altari, eleuatumque, tum in solenni Corporis Christi Festo, oculis inspectantium obiectum, prosequuntur. Quae dimittimus, cum pergendum sit ad alia.

## XV.

Veras ubi iamiam, propulsatis lubricis, inuestigare tentamus tanti, tamque uehementis, Desiderii *Causas*, prima ex ipsis eorum intelli-

b) *Comment. in Exod. Opp. T. I. p. 925.*



telligatur uerbis, necesse est, quibus *Societatem* appetunt *Patrum ac Maiorum suorum*, qui non in Aegypto cubant, sed in Terra illa Sancta. Ita, ad Iosephum, Iacobus: *Quiescam עם אבותי cum Patribus meis.* c) Ibidem: *Sepelias me בקברתם in sepulcro Eorum.* Alibi: d) *Sepelias me אל אבותי ad Patres meos.* Dulce enim est et iucundum morientibus, si spes sit relicta, fore, ut, facta separatione animae a corpore, in mentium beatarum domicilio, auos ac proauos, genitores et genitrices, fratres, sorores, filios, filias, alios ex cognatis, coelesti circumuestitos gloria, conspiciantur. At, neque hoc profecto minima eos dulcedine recreat, si ipsa in morte sociari iis reuerentia sunt profecti, tum charitate. Hinc gentium erga mortuos religio exstirpuit *Sepulcra Hereditaria, Sepulcra Maiorum, Sepulcra Familiaria, Monumenta Patrum, Monumenta Gentilitia, Bustuarua Familiarum*, ubi tot sarcophagi, quot corpora mortuorum, propinqua cognatione sibi iunctorum, uel, si ea combusta, tot urnae ac cineraria, quot corpora fuerant consumpta, ordine collocata, comparebant. e) Magnum apud Romanos nomen est *Sepulcorum Familiae Caesenniae*, de quibus locus dicendi hic non est: f) Itemque *Sepulcri Familiae Linae*, quod Romae uidit Illustre Decus Academiae nostrae, 10. GVIL. Nob. DE BERGER. g) Ipsi TVLLIO, L. I. *Offic. magnum est, eadem habere Monumenta Maiorum, iisdem uti sacris, Sepulcra habere Communia.* Accedamus propius ad Hebraeos, eorundemque *Sepulcra Hereditaria*, quale fuit *Asabelis* illud, *Saulis, Vfine, Samsonis, Gideonis*, aliorum. h) Neque uero hoc ualde admirandum, cum constet ex moribus Hebraeorum, eos, non minus ac gentes alius terrae, appetentes fuisse unionis, post mortem suis cum Maioribus impetranda. Totus turbatur *Nebemias*, tristatur, uultuque incedit, pallore obducto, ubi ruinis disiectam, suisque uelut in ruderibus sepultam uider Urbem Sanctam, *Maiorum ossa* complexam. *Urbs*, inquit, *בית קברות אבותי domus Sepulcorum Patrum meorum, euerfa est.* i) Honores uel regios respuit Barillai, modo in *Sepulcro condi Patrum suorum* possit. k) Et certe, Iudaei, tempore obfidio-

D 3

- c) GEN. XLVII. 30. d) GEN. XLIX. *Maiest. in Ruinis ac Vestig. adhuc spir.*  
 29. e) SALMAS. *ad Solim. p. 849.* p. 15. h) II. SAM. II. 32. XXI. 14. II.  
 sq. GYRALD. *de Ritu Sepel. cap. II.* CHR. XXXVI. 23. IVD. XVI. 31.  
 f) Vid. BERN. MONTEFALCO, *IX. 32.* i) NEHEM. II. 3. k) II.  
*Diar. Ital. p. 261.* g) *de Romae Vet.* SAM. XIX. 37.



nis illius Hierosolymitanæ, mori malunt *ad Sepulcra Patria*, quam, his orbi, fugere aliorum, ut refert, cum HEGESIPPO, l) FLAVIUS. m) Ex quo, poenæ instar grauioris, flagitiosis inflictæ, habendum est uerbum illud Numinis: *Non ueniet cadaver tuum* אל קבר אבותיך *in Sepulcrum Patrum tuorum.* n) Ipsi etiam Iudæi a *Domo Iudicii* necatis non *Maiorum* concedunt *monimenta*, sed duo Sepulcra ordinant, alterum pro lapidatis et combustis, alterum pro ense pereuntibus et strangulatis. o) Audiamus Christianos, eorundemque inprimis Martyres, constitutos in extremis, et intelligamus, quam solliciti fuerint sæpenumero de Sepultura sua, ab amicis procuranda in *Sepulcris Patriis*, ut exempla docent *Torpetis*, *Victoris*, *Mernæ*, plurium, quorum farrago extat apud PAVLLVM ARINGHV. p) Tantus igitur cum omni extiterit tempore et uelut connatus amor Societatis Maiorum, nihil impedit, quo minus, hanc simul ob causam, Patriarchas solum Terræ Sanctæ, Patrum ossibus, Deo sacris, refertum, appetuisse, opinemur. Coniunctissimi uixerant, cum patribus ac maioribus, Iacobus et Iosephus. Unde et eorum Desiderium haud dissimile est illi Ruthæ: *Vbi morieris tu, ibi moriar et ego*, ושמ אקבר *ibi etiam SEPELIAR:* q) quorum promissorum quanquam illud, ob peregrinationes perpetuas, in potestate eorum non est, sed in illius, qui habet τὰς κλῆς τῆ θανάτου, hoc tamen expectato gauisurum euentu, confidunt. Coluerant Deum, coram quo ambularant Patres, qui Deum se dixerat Patrum, qui sanctos, uelut Angelus ille magnus, redemptionis fructum elargitus, æterna salute beabat. Decedunt in fide, a Patribus constanter seruata. Sperant pleni fidei, se, quoad animam, in societatem eorum perueniuros, in concilio mentium beatarum. Quamobrem laude dignum est Desiderium, quo ad latera poni corporum eorum, placide quiescentium, mortui etiam cum iisdem uniri, eorundemque in societate prodire in uitam discipiunt. Quod ipsum Sepulturæ genus mouit Pontificem, LEONEM III. ut Decretum ederet: *Statuimus, unumquemque in Maiorum suorum Sepulcris iacere, ut PATRIARCHARVM EXITVS docet.* r)

## XVI.

l) L. V. *Histor.* m) *de Bell. Iud. L. V.* q) RVTH. I. 17. r) *Insertum Decretalibus Gregor. IX. L. III. Tit. MAIMON. Hilcarth Sanhedr. c. XIV. XXXIII. de Sepult. can. I. p. 164. §. 9. p) Roma Subterr. T. I. p. 33. sq. Ed. PITHAEOR.*



## XVI.

Verum, hic non acquiescendum est, cum *πῆσι* illa, ex qua, ut tēstis est, diuino afflatu, Apostolus, profectum fuisse, infra docebitur, Desiderium illud, ad altiora meditanda nos omnino compellat. Hoc magis ergo admirandum ducimus, in prima hac, a nobis exposita, caussa, terminari studium IO. CLERICI, *Non uidetur, inquietis, alia causa fuisse Iacobo, optandi in Maiorum Sepulcro sepeliri, non in Aegypto: nisi, quae multis aliis fuit, et est quotidie, qui et similia cupiunt. Cuius cupiditatis causam si exquiras diligentius, nihil inuenies, nisi AMOREM ERGA GENITORES, qui in multis etiam moribundis ita se prodit, quanquam nulla certatione nituntur.* s) At, dicat haec CLERICVS, qui, quantamcunque effundit alias eruditionis copiam, hic tamen parum erudite, ubi montes altissimi, qui, montibus Hebraeis, a singulis Sacri Codicis literis superandi erant, ad radices substitit, instar uiatoris, primo in itinere fessi. Nam, hic altius assurgendum, si nostro defuisse officio uideri nolimus.

## XVII.

Progrediamur igitur ad alia, ut uideamus, quaenam sint, quae tanta Patriarcharum moribundorum Desideria cieant. Non ad suos patres, auos atque maiores, ut ostensum est hactenus, respectant solum, sed ad ipsos etiam posteros, quos Terram esse occupaturos, fide praecedent, quorumque *memoriae*, uel ipso loco Sepulcri proximior, commendare se discipiunt. Sunt profecto demortuorum tumuli *memoriae* illorum inter uiuos conseruatores, quos tanto ideo studio aedificabant ueteres, tantisque obruebant molibus ac machinis, ut magnae opum copiae ab opulentioribus impenderentur. Atque hinc uel ipsum *monumentum*, uel *monimenti*, nomen arcessendum, quod, a *monendo* factum, pro sepulcro occurrit promiscue. Ut enim *documentum* est a *doceo*, sic *monumentum* a *moneo*, inquit G. I. VOSSIVS. t) Estque, quicquid scriptum uel factum est *memoriae* caussa, *monumentum* VARRONI: u) FESTO uero, quod *mortui* caussa aedificatum, et quicquid ob *MEMORIAM* alicuius factum est, ut *sana*, *porticus*, *scripta* et *carmina*. x) Inde Graecis *Sepulcra* sunt *Μνημεία*, *Μνηματα*, *Μνημεία*, *Μνημόσυνα*, uidelicet ἀπὸ τῆς μνήμης. Quae uocabula omnia τῶ τὰ Φῶ aequi-  
pollent

s) Comment. in Genes. p. 294. t) Ety. x) De Verborum Sign. uoc. Monumentum. mol. L. L. p. 327. u) L. III. de L. L. Add. quae notat DACER. p. 245.



pollent secundum POLLUCEM. y) Sic *Μνημείων* apud Oratores tum *sepulcrum* dici; tum aliud opus, *memoriae* inferuiens, SVIDAS monet. z) *A memoria lapides sepulcrales PROPERTIO* sunt *Lapides Memores.* a) In Inscriptionibus SAXVM MEMOR, pari sensu. b) Addo alia. *Memoria* saepenumero *nomen* est, Sepulcris inscriptum. Graeci uocant *μνημείων*. GLOSSAE: *μνημείων, τὰ ἐπὶ τείφων.* Sed pro ipsis etiam *Sepulcris* occurrit, non apud gentes tantum, sed et Christianos ueteres, quibus *Memoriae* Martyrum, *Memoriae* Apostolorum, pro Templis erectis usurpantur. c) Et, quid in Inscriptionibus frequentius, quam *Lapides*, positi *Memoriae caussa*, *Memoriae aeternae*, *Μνείας χάριον*, *Μνείας ἕνεκεν*, *Μνήμης ἕνεκεν*, *Μνήμης τελευταίας χάριον*, qua de re erudit IO. VANDER NISPEN d) disserit, itemque IO. FAES. e) Reuocatur in memoriam, etiam Iudaeis cenotaphia ac cippos *נפשור* *Animas* dici, atque inter ornamenta sepulcralia, *מצבה, קטנה, ציון*, referri. f) Constat, dissentire CAMP. VITRINGAM, cui a *quiete animae* uisum est nomen petitum, inprimis a phrasi, *נפשור נהנה* *quiescat anima eius.* g) At, uerius cum plerisque cippi nobis sunt *נפשור*, quia sunt instar *Animae* mortui, ipsiusque hominis, e conspectu sociorum sublati, et in nihilum redeuntis, *famam* et *memoriam* ad posterum extendunt. h) Ergo exinde non ultima arcessitur *caussa* uoti moribundorum Patrum, quam ipse etiam B. LUTHERVS, in aurea *Geneleos* explanatione, supremis uitae diebus ad finem perducta, iteratis uicibus urget. Intelligunt, se in terris Aegyptiis remotissimos fore ab incolis Terrae Sanctae; a populo Dei, ipsiusque posteris suis. Multa euenire posse suis dura ac difficilia, praevident, ubi opus sit constantia fidei, quam maiores fuerint professi. Hanc ipsam tamen fidem citius, faciliusue, animaduertunt, reduci posse in memoriam, si ea habeant haud procul distita Sepulcra, ubi requiescant patrum cineres et maiorum, qui, fidei suae constantia, per multas fortunae aduersae tentationes traducti, eaque ipso in agone confortati, in Terrae huius promissione innitentes, placide expirant.

Quo

- y) Onomast. L. III. c. 33. z) Lex. Gr. u. *Μνημείων*. a) L. II. Eleg. XII. u. 40. b) GRVTER. *Thef. Inscript.* p. DLXII. c) BINGHAM. *Orig. Eccles.* Vol. III. p. 127. sq. d) *Diss. Iurid. de Sepulcro Viol.* p. 17. 18. e) ad GYRALDVM, *de Ritu Sepel.* p. 704. f) MISCHNA, *Mass. Sebekalim*, c. II. §. 5. MAIMON. *ad Mischn. Mass. Oholoth*, c. VII. §. 1. ID. in *Hillel. Ebbel. Halaeb.* 4. g) *Obs. Sacr.* L. I. c. V. *Disp.* III. p. 210. 211. h) IO NICOLAI, *de Sepulcr.* Hebr. p. 228. LIGHTFOOT. *Horae ad Martir.* XXIII. 27. 29. ED. POCOCC. *ad Portam Mos.* c. V.



Quo igitur propinquior est specus Patrum sepulchralis, hoc florentior debet esse memoria, hocque efficacius tantum fidei, imitandae posteris, exemplum.

## XVIII.

Ipsius tamen *Terrae Sanctae*, post causas haecenus expensas, rationem habendam praecipue, nemo est, qui non uideat. Etenim ea regio, cum nulli fuerit secunda in orbe terrarum uniuerso, cunctis uero pinguedine soli, salubritate aeris, rerum affluentia omnium, longe excellentior, splendidiorue, Patrum animos, ad expetenda ibi dormitoria, excitasse, omnino putanda est. Soli quidem *Aegyptii* fertilitatem, neque ignoramus, neque inficiamur, terrarum aliarum ubertate haud inferiorem uideri habendam, a Nili praesertim, extra littora excellentis, beneficio profectam. i) Interim uel hanc multum superat illa *Palaeestinae*, ubi uestigia spectantur diuinae benedictionis, pinguedinem stillantia. Ipsi sane gentium Scriptores, *aqua, coelo missa*, prouentu *uini palmarumque nobilium, frugum* etiam atque *arborum* aliarum, superiorem Aegypto Palaeistinam habent, uti ex testimoniis PROCOPII GAZAEI, STRABONIS, PAUSANIAE, conficit ADR. RELANDVS, Geographus elegantior, iudicijque subacti. k) Est igitur Terra Sancta, neque ulla alia, *כל הארצות צבי* *Decus omnium terrarum*, EZECHIELI, l) quod KIMCHI per *הפארת והמדה* *Ornamentum et Desiderium*, ABARBANEL per *יפי* *Pulchritudinem*, R. SAL. BEN MELECH per *הפץ והרצון* *Obletamentum et Beneplacitum*, alii alia ratione, interpretantur. Quo nihil dici poterat illustrius, nihil ad rem accommodatius. Eadem *ארץ צבי* uocatur *ארץ צבי* *Decus*, m) *ארץ צבי* *Terra Decoris*, n) *צבאות גוים* *Decora gentium*, o) *טובה מאד מאד* *Bona maxime*, uel, *optima*, p) *הפץ* *Terra Delectationis*. q) Eisdem, ob insignes, quibus gaudet, praerogatiuas, nomen *ארץ Terrae* generatim uindicatum, meminimus, tanquam totius terrarum orbis compendio; imo capiti. r) Quod N. F. imitantur Scriptores, uoce *אֶרֶץ*, qua tamen obseruatione abutendum haud est, ut factum a quibusdam, in explicando miraculo solis, moriente Christo caligine ob-

E

ducti.

i) SOLINI *Polyb. cap. XXXII.* SAL. 1) XX 6. 15. m) DAN. IIX. 9. n) MAS. *ad Sulin. p. 299.* DIONYS. DAN. XI. 16. o) IER. III. 19. p) PERIEG. *Descr. Orb. u. 227. Add.* NVM. XIV. 7. q) MAL. III. 12. GVIL. HILL. *in Comment. ad b. l.* r) RVTH. I. I. IEREM. XII. 11. p. 66. k) *Palaeest. p. 280. 281.*



ducti. s) Sensu eodem, uocabulo *χώρας* de Terra illa Sancta FL. IOSEPHVS utitur, qui euoluatur ipse. t) Campus hic omnino patentissimus est, in quem tamen excurrere limites haud permittunt praesentis instituti. Qui Soli Palaestini elegantiam nosse cupit interius, praeter Monumenta Diuina, quibus plena habenda fides est, u) Scriptores conferat gentium, IUSTINVM, TACITVM, STRABONEM, PLINI-VM. Comparat cum his maxime FLAVIUM, et Fragmentum HECA-TAEI, apud Eundem. Quae omnia tamen, uberius multo, ductu-que illorum fontium exactius, Celeberr. DEYLINGIVS, qui sententiae Tolandianae, de Solo Iudaeae sterili, arido, saxoso, robur frangit, PETR. ZORNIVS, in HECAEAEVM commentatus, omnes denique, qui Regionis illius naturam, situmque, inuestigant, ADRIANVS RELANDVS, CHRIST. ADRIKOMIVS, DAPPERVS, GEORGIVS SANDYS, Anglus, alii, persequuntur.

## XIX.

Neque tamen in sola hac atque externa Terrae Sanctae dulcedine Patriarcharum Desiderium subsistit, sed, cuius rei imaginem in foecunditate illa incredibili Sancti V. T. spectarint, ostendendum est. Quemadmodum enim, cum Terra illa *ארץ חמדה Terra DESIDERII*, quam LXX. SENES et per *γῆν ἐπιθυμητήν*, et per *γῆν ἀλεκτήνην*, transferunt, nuncupatur, uelut Sanctorum ciens Desideria, x) non externae tantum praerogatiuae respectantur; Sic et hic caussa longe alia subest. Hanc enim Terram omnes exoptant cultores diuini Numinis, ex ea exclusi, uel ab ea ad tempus remoti. Daniel, exul, die quouis, uicibus ternis, in coenaculo suo et conclaui domus superiori, e cuius fenestris amplissimus patet uersus Palaestynam atque Urbem Sanctam prospectus, flexis genibus, ardens orat, Desiderio illius defixus. y) Deportati in Babyloniam Iudaei reliqui, ad fluminum, Tigridis atque Euphratis, ripas sedentes, inter querelas amaras et lacrymas copiosas, Terrae illius Sanctae excellentiam, Templi Hierosolymitani splendorem, totiusque cultus elegantiam, sanctitatemque, ad animum reuocant. z) Nolo huc referre Iudaeos hodiernos, quorum perpetuum, praefertim in solenni Paschatis

s) MATTH. XXVII. 45. t) Ant. 13. sqq. 19. 23. 24. 25. x) PS. CVI. Ind. L. X. c. V. et L. XVII. c. XII. 24. ZACHAR. VII. 14. IEREM. u) NVM. XIV. 7. 8. DEVT. III. 19. y) DAN. VI. 10. z) PS. 7. 8. 9. XXXII. 13. sqq. XXXIII. CXXXVII. 1. sqq.



schatis nocte, Desiderium eo redit, ut citius, et proximo quidem, si fieri possit, anno, ingrediantur Terram Sanctam, quam sibi putant promissam, quam tamen occupabunt nunquam, aeternum ex ea eieci. Maiori iure locum quendam hic obtinet *Mosis* illud Desiderium, aetate iam prouecti: *מִן הָאָרֶץ הַטּוֹבָה נָח וְאָרָמָה נָח וְאֶרֶץ חֵבֵרָה נָח* *Transibo quaeso, et contemplabor Terram illam bonam.* a) Quod b. LUTHERVS, de magnitudine conuictus huius Desiderii, merito reddidit: LAS MICH GEHEN, *und seben dis gute Land.* Terram cogitat Sanctam et Palaestinam, Terram, ut pergit, Transiordanensem, cum monte illo eximio, Libano, Terrae totius ornamento. Tanti Desiderii si expectas causam, erit illa non tantum in regionis excellentia, cui similem nulla uidit aetas, sed in ipsis praerogatiuis huius Terrae, quas iam exponemus, quaerenda. Inde dubitandum non est, quin et hic *Desiderium* *Mosis*, *Sepulturae caussa subnatum*, delitescat. Intelligit, quiescere ibi cineres heroum fidei. Contemplatur flagrans ipsorum Desiderium moribundorum, eiusdemque grauiores causas, fidei inprimis specimen, illo editum. Praeuidet splendorem, Terrae illi conciliandum in posterum persona gestisque Messiae. Senio confectus, de uita bene beateque finienda cogitat. Hinc illud Desiderium. Quod tamen quanto uehementius est, tanto acerbior est habenda denegatio rei petita. Conspicatur quidem Terram Sanctam, eiusque elegantiam, in pratis, campis, montibus, uallibus, fluuiis, ridentem, sed negatur ingressio a Deo, magni criminis populi recordato. Constitutus est in montanis *Abarim*, dictis a *transitu*, cum inde in Cananaeam *transetur* regionem. Quem quidem montium tractum *ὄρη λόν* uocat IOSEPHVS, ex quo terram Cananaeorum *ἀπέστη και πλείστην* spectare liceat. b) Ascendit montem *Nebo*, altitudine insignem, ut Arabum radix ostendit, ex qua nomen montis arcescendum est, obseruante IO. CLERICO; c) Ipsum etiam iugum *Pisga*, quod EVSEBIO Κορυφή Πισγὰ, *Supercilium Pisga*, est, ut RELANDVS notat: d) et non collis speciem habet, sed montis praestiti, unde in Cananaeam prospicitur terram, superiectis oculis supra tractum collium Transiordanensem, a Cinnereth usque ad Asphaltiten. e) Hinc ONKELOSO, Targumistae, est *רִמְתָּה* *altum iugum*, cui fides habenda est, utpote rerum harum intelligenti. Sed, quid ibi cernit Moses?

E 2

Moses?

a) DEVT. III. 25. b) *Ant. Iud. L.* d) *Palaest. p. 369.* e) CLERIC. I. c. IV. p. 112. c) in *Genesis*, p. 529. p. 436.



Moses? Terram, quae Israelitis erat danda, Terram uidelicet Canaan, inprimis tractum omnem Gilead usque ad Dan, omnem Tribum Naphthali, Terram Ephraim et Manasse, omnem Terram Iudae usque ad Mare extremum, planitiem etiam Hierichuntinam usque ad Zoar, spatium quadraginta miliarium in longitudinem, et octo, in latitudinem. Lustrat oculis tractum Galilaeum, theatrum gloriae Christi in posterum constituendum, montes, agros, urbes, loca alia, quae gestis Messiae insigniri debebant: oculis autem, non hebetioribus, sed illustratis, insigni beneficio gratiae diuinae. Hac sola contemplatione Desiderium suum explet Moses, ubi obtemperandum esse intelligit nutui supremo. Perfuitur nihilo fecius Terrae alius, illiusue Sanctioris, dulcedine, placidissima morte sopitus, ac, multis interiectis temporum spatiis, in eadem, quam hic appetit, comparer, luce fulgens Taboritica, socioque Elia, tum Palaestinae elegantiam, tum gloriam carnis Christi, contemplatus. Haecenus de Desiderio Mosi.

## XX.

Fide igitur expetere, iam ostendimus, Patriarcharum moribundorum utrumque *Terram Promissam*. Quo quidem titulo tanta Terrae Sanctae uindicatur laus, tanta gloria, quanta non competit ulli. Namque huic soli Promissio illa erat facta, occupare eam debere Abrahamum, suis cum posteris ac coetu Sanctorum, eandemque constituendam esse Sanctuarium Dei, in quo coetus, Deo sacer, uigeat, cultuique Numinis uacet. Hinc γῆ τῆς ἐπαγγελίας grauius dicitur, f) quae *Promissio* insigni nomine ברית nuncupatur, siue, *Foedus*, inter Deum et homines ictum. g) In testimonium certitudinis, confirmabatur ea, interposita ipsa fide *Iuvisiurandi* diuini, h) qua profecto nihil dici potest sanctius, nihil constantius. Ad quod Iuramentum, in Paeano, Zacharias prouocat, ubi, mentione facta τῆς διαθήκης ἀγίας, qua ipsum illud *Foedus* respicitur, in animum reuocasse Deum, commemorat, ὄρκιον, ὃν ὤμωσεν πρὸς Ἀβραάμ. i) Ipsa Promissionis formula, qua pangens uritur Deus, haec erat: *Tibi tuoque semini dabo hanc Terram*. k) Dabatur occupanda, possidenda, εἰς κατοικίαν. l) Ex quo solam illam Terram tantis dignatus est Deus honorum titulis, ut dixerit

f) HEBR. XI. 9. g) GEN. XV. 18. i) LVC. I. 72. 73. k) GEN. XII. 7.  
h) GEN. XXVI. 3. EXOD. XIII. 5. XV. 18. XIII. 15. l) ACT. VII. 5.



xerit יהוה ארץ *Terram Iebouae*, m) *Habitaculum Sanctitatis*, n) *Solum Gloruae*. o) Et quid, cedo, excellentius, nomine קודש אדמת קודש *Terrae Sanctitatis*, itemque הארץ הקדושה *Terrae Sanctae*, imposito a Iudaeis, ductu sacrarum paginarum. Cui responderet ארץ ארץ, apud PHILONEM, *ἡ γῆ* et *ἡ γῆ ἁγία*, apud alios, p) apud Patres uero *Terra Sancta*. q) Sola etiam haec Terra est, in quam Deus, tanquam pater in filios, herus in heredes, quicquid bonum est et salutare, confert, cui omnia sua largitur bona, siue temporalia sint, siue aeterna. Est enim ea כהלת צבי *Hereditas Decoris*, r) יהוה כהלת *Hereditas Iebouae*, s) et κατ' ἐξοχὴν *Hereditas*. t) Atque haec illius Terrae Promissio tantae erat firmitatis, tantaeque certitudinis, ut, longo licet tempore commorantibus in Aegypto Israelitis atque afflictis, laetus tamen aliquando, fortunatusque, sperandus esset exitus. Moriuntur igitur Patres in Fide, quam sunt professi per omnem uitam. Ac Iacobus quidem, salutato Pharaone, de aetate quaesitus, annos uitae suae שני טוורים appellar, hoc est, *annos Peregrinationum*, u) ut ostendat, se, ubicunque fuerit uersatus, semper uagatum extra patriam, ut exulem perpetuum ac peregrinatorem, more maiorum, quorum Peregrinationis meminit ibidem. Per aliquot annorum decursum peregrinatus in *Syria Fluminorum*, ut aiunt Hebraei, uel, si mauius Graeca uti uoce, in *Mesopotamia*, apud Labanem, Cananaeam quidem ingreditur Terram, non uero ut ciuis et incola, sed, ut *παροικος* et hospes, ut intelligat, hac in uita continuis nos implicitos esse Peregrinationibus, et ueram illam patriam, stabilemque sedem, expectandam in uita futura. x) Relicta Terra Sancta, diuersatur in Aegypto, nihilo tamen fecius Deo peragit gratias, quod in omnibus his, longeque molestissimis, itineribus, uelut ouicula, fuerit ductus ab eo, quem suum רעה *Pastorem* apposite dicit. Mortem ipsam obeundam esse in Aegypto, praeuidet, praedictam etiam amica Numinis uoce: יוסף ישיב ידו על עיניו *Iosephus imponet manum suam oculis tuis*, y) qua ipsum officium pietatis, Iacobo a Iosepho in morte praestandum, significatur. Verbo tamen

E 3

diui.

- m) HOS. IX. 3. n) IES. LXIII. 15. IES. XLVII. 6. t) THREN. V. 2.  
 o) IER. III. 19. p) SAP. XII. 3. NVM. XXIV. 2. u) GEN. XLVII.  
 II. MACC. I. 7. q) ADR. RE. 9. x) HEBR. XI. 13. I. PET. II.  
 LAND. Palaest. L. I. c. IV. p. 18. sqq. II. y) GEN. XLVI. 4.  
 r) IER. III. 19. s) PS. LXXXIX. 1.



diuina, de occupanda Terra Promissa, uelut scipioni suo, ita innititur, ut, tamen si extorris uixerit, extorris aegrotarit, extorris etiam expiret, mori nihilo minus uelit in Fide, diuinas Promissiones amplexa, quam in fine cap. XLIIIX. GEN. illustri modo declarat: *Ecce maior, et erit Deus uobiscum*, אלהים אתכם אל ארץ אבותיכם *et REDUCET uos ad Terram Patrum uestrorum.* En tibi exemplum Fidei Patriarchalis, in cuius documentum, ut non inelegans est quorundam animaduersio, non Iacob dicitur in hac enarratione, sed *Israel*, uelut *Princeps Dei*, ut Fidei robur notetur, quo, cum ipso colluctatus Deo, cesserit superior. Sed, conuertas etiam oculos in *Iosephum*, quem uixisse nosti extra Terram Promissam. Ornatur in Aegypto honoribus fere regis, gratia fruitur Regis, potestate pollet maxima, latissimisque circumscripta finibus, thesauris Regis praefectus. Accedit insignis illa, in qua apud Aegyptios uiuit, existimatio, opumque, qua affluit, copia. In quo felicissimo tamen si floreat statu, nihilque splendoris, nihil gloriae, deesse sibi uideat, in ea tamen terra commorari se, sapienter animaduertit, quae non sit Terra Promissa, sed peregrina. Hinc tanta non potest esse felicitas ulla, tanta gloria, quin aliam in ea terram respectet, flagitet, expectet. Atque ad hanc spem, in animis suorum procreandam et conseruandam, ut supra Iacobus, ita et Iosephus, GEN. I. instantibus ultimis, ad posteros suos, de certo instante Terrae huius possessione loquitur, eandemque sancte pollicetur: אלהים פקוד יפקוד אתכם *Deus VISITANDO VISITABIT uos.* Quae *uisitatio* non pro poenae, sed gratiae diuinae, specimine habenda hic est, quo sensu LXX. SENVM επισκέπτεισθαι, quod bis, in Paeano, Zacharias de gratioso Messiae aduentu adhibuit, accipi debet. Pergit ille: והשלה אתכם *atque ADDUCET uos ex terra hac ad illam Terram, quam IURAVIT* (at, quid iureiurando diuino sanctius?) *Abrahamo, Isaac et Iacobo.* Quae quidem, hactenus exposita, consensu firmanda sunt quorundam Veteris Ecclesiae Patrum. Ex quibus CHRYSOSTOMVS, Z) Μηδεις, inquit, τολυν νομιζέτω, μικροψυχίας είναι την διάταξιν, αλλά, από τῆ προοραίν την μέλλουσαν αὐτῶν ἕσθαι ἐπάνοδον, πάσης αἰτίας ἀπολύεται τὸν δίκαιον. THEODORETVS: a) Ψυχαγωγῶν τὸ γένος καὶ διδάσκων, ὡς ἅπαντας αὐτῆς ὁ θεὸς πότης Θεὸς μεταστήσει ἐκ τῆς Αἰγύπτου, καὶ τὴν ἐπιγγελημένην αὐτοῖς ἀποδώσει γῆν. Idem, quem excitauimus, CHRYSOSTOMVS, loco alio: b) Περὶ τῶν ὁσίων, κ. τ. λ. ὁ θεὸς

z) in Genes. XLVII. a) Quaest. CIIIX. in Genes.

b) ad Hebr. XI.



ἀν' ἐποίησεν, εἰ μὴ πεπληρῆσθῆτο, ἴσασθαι τὴν ἐπάνοδον. Comparentur cum his, quae, insigni pietate, hac de re, prisca fide edisserit Theologus, POLYCARPVS LYSERVS. c)

## XXI.

Quanto crebrius celebratur, ipsis in sacris, Terrae Sanctae *Quies*, tanto ueriores exhibet imaginem *Quietis* illius *Aeternae*, post mortem Sanctis promissae. Habes exinde nouam Desiderii Patriarchalis Causam. Et *Quietem* quidem Terrae Canaan respectasse perpetuo Israelitas, in Aegypto extorres, quis est, qui inficiari ausit? Nitebantur enim uerbo diuino, quo *Quies* fuerat promissa, ex hereditate illius Terrae capienda. d) Quam ipse Deus uerissime respicit, ubi de populo, Terram nondum ingresso, *baelenus*, inquit, *nondum peruenistis* ארץ כנען *ad Quietem*. e) Et idem Deus alibi, grauissimo, a populo, factio iureiurando, ab huius eos *Quietis* fruiione excludit: *Iuravi in ira mea, quod non uenire debeant* ארץ כנען *ad Requiem meam*. f) Si uideatur tibi aliorsum, non ad Terram Sanctam, respici, age, locum conferas alium: *Nullus ex iis*, de quibus dixerat Deus, *uidebit* ארץ כנען *Terram Canaan*. g) Quaecumque igitur hic et alibi de *Quiete* dicuntur temporali, haec *Aeternam* praefigurasse, certissimum est. Nullus omnino locus significantior est, Paullino illo, ubi *enitendum esse*, monet, *ut ingrediamur eis* τὴν κατάπαυσιν αὐτῶν. *Denuo: Nos, qui credimus, ingredimur eis τὴν κατάπαυσιν*. h) Quam *Requiem* confert postea cum illa Dei *Sabbathica*, cum hac uero *Σαββατισμὸν* Sanctorum post mortem, qua quidem dictione magnum quoddam, aeternum ac perfectissimum, promittitur *Sabbatum*, intra pomeria Hierosolymorum, quae supra nos sunt, feriandum. i) Sed, age, uideamus rationem comparationis inter *Quietem* utramque, *Cananaeam* atque *Coelestem*. Largitur Terra Sancta *Requiem* a laboribus sterilibus illis, longaque molestissimis, quibus, per multa annorum interualla, subiicere se tenentur, uelut oneri insano, in Aegypto Israelitae. At, quid haec *Requies* est, si cum *Aeterna* illa conferatur, laboribus suis fessos expectante? Ipse profecto, de omnibus, in Christo morientibus,

c) in Iosepho, p. 444. sqq. et 571. sqq. d) HEBR. IV. I. 3. II. 1) HEBR. IV. DEVT. III. 20. e) DEVT. XII. 9. Conf. quae annotant ad h. l. Cel. 9. f) PS. XCIV. II. Add. HEBR. III. BRAVN. in Commentar. p. 243. sq. et MICH. MAVDVIT, sing. Diff. in h. l. II. IV. 3. 5. g) NVM. XIV. 23. h)



bus, testimonium perhibet Spiritus, illudque in cordibus eorum ob-  
signat, quod ἀναπαύσονται ἐν τῶν κόπῳ αὐτῶν. k) Hic est uerus ille  
Sabbathismus, uera illa Requies, a PAVLLO supra praedicata, quam  
Iudaeorum etiam scripta enarrant pluribus, ubi Sabbathum, a ἄνω  
s. *quiescendo* dictum, typum constituunt Quietis Aeternae. l) Ne-  
scit Terra Sancta Israelitarum hostes, iis in temporalibus infensos.  
Quid certius, quam in Canaane coelesti liberos nos reddi a spiritu-  
alibus illis, multoque ualentioribus, mundo, carne, Satana? Rerum  
omnium affluentiam Quies suppeditat Cananaea. At, haec cum Que-  
te illa Aeterna tanto coniunctior est, quanto pluribus ibi bonis aeter-  
nis, *manna* coelesti, *fonte* et *agua* uitae, noua *uitis* progenie, et sa-  
turamur, et inebriamur. m) Vnum est, quod maxime urgeo, uideli-  
cet, *Egressio* illa e terris Aegyptiis, qua nihil significantius, nihil effi-  
cacijs, ad repraesentandam Sanctorum, inter hos ipforum *Patriarcha-  
rum, Mortem*. Audias, ubique uerbo ΝΣ exprimi profestionem Israe-  
litarum ex Aegypto. Vnde ea ἔξοδος dicitur ipsi Apostolo, uoce He-  
braea accurate translata. n) At, quid Mors nostra aliud, quam ἔξοδος  
ex hac uita, squalida atque aerumnosa? Adeantur scripta gentium,  
quarum mens haec assecuta diu est. HERACLID. PONT. Ἀχιλ-  
λέως ἔξοδος, pro morte Achillis. Sic apud ANTONINVM, ἐξίναί τῆ  
ζῆν, ἐξίναί τῆ θίς. Quae colligunt et excutunt alii. o) TUL-  
LIVS ipse consimiliter loquitur, multis uicibus, ut ostendit CASP.  
SVICERVS. p) VARRO: *Ad EXODIVM uitam perducere*, pro,  
*mori*, uoce Graeca, ἐξοδιον, adhibita, quae idem est, quod ἔξοδος,  
notante DACERIO. q) Patrum loca idem exhibet SVICERVS, pro  
instituti sui natura. Ipse LACTANTIUS, Latinorum Cicero, de  
Candidiani *Exitu*, r) et alibi, s) haud dispari ratione *mortem* appel-  
lat, quod annotant etiam, ad locum ultimum, PAVLLVS BAULDRI  
et IO. COLVMBVS, Interpretes Lactantii, aduocantes simul Libel-  
lum IO. SARISBERIENSIS, de EXITV *Tyrannorum*. Sed praef-  
tat adire Monumenta N. F. Sacra. Hic ter tantum ἔξοδον leges.  
Semel de *Egressione ex Aegypto*, in loco Apostolico, quem postea per-  
sequar;

k) APOCAL. XIV. 13. l) Cel. WOLFIUS, in *Cur. Phil. Crit. in N.*  
SCHOETTGEN. *Horae Hebr. et T. P. IV. p. 189.* Cel. IAC. ELSNER.  
*Talm. T. I. p. 94f.* m) APOCAL. *Obserratt. Sacr. in N. T. Libb. T. I. p.*  
*11. 17. VII. 17. MATTH. XXVI.* 219. 220. p) *Thef. Eccl. T. I. col. 1142.*  
29. n) HEBR. XI. 22. o) GATA- q) ad FESTVM, u. *Exodium.* r) s) l. c. c. l.



sequar; *bis* autem de ipsa hominis *morte*. Locus uterque insignis est. In *primo* Christus ipse, gloria circumfusus Taboritica, in societate Moſis atque Eliae, illuſtria plane cum his uerba facit. Illi enim ἡλεγρον ΤΗΝ ΕΞΟΔΟΝ αὐτῆς, ἢ ἑμελλε πληρῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. τ) IO. LIGHTFOOTVM, nouimus, de *Christi in Coelos Ascensione*, quicquid hic dicitur, accipiendum, existimasse. u) Sed, elegantior est interpretatio omnium fere Explanatorum nostratium, qui ipsam Christi *mortem*, Hierosolymis obeundam, quam et *abitum* dicit alibi, x) et *ransitum*, y) deprehendere hic sibi uidentur, et uere deprehendunt. Vnde, cum Codd. uarii pro, ἔξοδον, exhibeant δέξαν, quos IO. MILLIUS citat, EUTHYMIUS, hoc ideo fieri, commentatur apud eundem, quod *Cruce* fuerit Christi *Gloria*. Atque haec mors iam *implenda* erat, quod πληρῶν infert: cuius uerbi pondus haud assequi uideretur Eruditissimus IAC. ELSNERVS, cui, loco citato, πληρῶν hoc idem est, quod *exitum facere*: cum dictio sit multo significantior, uaticiniorum V. T. et typorum *impletionem* respectans. Quod sola docet solennisq; illa formula: ἵνα πληρωθῆ. Sed, pergo ad locum, cui nihil difficultatis inest, *alterum*, Petrinum illum, ubi, se eo editi, ait, ut suis relinquat sui memoriam post *Exitum suum*. Ecce uerba: μετὰ τὴν ἑμὴν ΕΞΟΔΟΝ; z) quibus nihil aliud uult, quam *depositionem tabernaculi*, cuius mentionem fecerat u. 14. hoc est, mortem suam, martyrium suum, mox et certo expectandum. Ea de re uerba audiantur clarissima: καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσέν μοι, quibus ipsam innuit mortem in cruce, *praedictam* a Seruatore. a) Si libros excutias Apocryphos, huc imprimis referas, licet, effatum illud de morte priorum, de qua abiecte satis sentiunt filii huius seculi. Ελογίθη καὶ καὶ αὐτῆς Η ΕΞΟΔΟΣ αὐτῶν. b) Quo in loco LUTHERVS, *ibr Abschied* transferens, uerbo, non re ipsa, a nobis distat. Ipsum enim *Obitum* delitescere hic, partim similis uox, πορεία, *profectio*, comprobatur, partim uerbum τεθνήσκαι, ipse etiam status beatus, in quo illi si fuerint, ἐν εἰρήνῃ quiescere perhibentur. Satis diximus de dulcedine Quietis Aeternae, sub Cananaeae illius imagine representata.

## F

## XXII.

- †) LVC. IX. 31. u) *Opp. T. II. p. 517.* XIII. r. ἵνα μεταβῆ. z) II. PETR. I. 15. a) IO. XXI. 18 19 XIII 36. x) MATTH. XXVI. 24 Filius hominis ἀπάγει Conf. ad h. l. IO ALBERTI *Obj. Sacr.* p. 152. y) IO. III. 2.



## XXII.

Insidet, uera fide, Sanctis V. T. Desiderium incredibile uidendi Messiae, orbem doctrina sua illustraturi; quapropter et illius, *quae uestrigis eius nobilitari debebat aliquando*, Terrae, Desiderio ardentiori si capiantur, mirari noli. Quem uiuentes habuerant ante oculos, in hoc, morientes, tota mente, non corporis, sed spiritus fideique, oculis, sunt defixi. Morti proxima mater prima, Eua, cum partus doloribus et periculis conflictata mortiferis, uera fide se exosculari יהיה נח שׂן, confessâ est, c) qui se a rictu retrahere mortis, uel, si succumbat, curare possit, ne pereat aeternum, efficacia damni, uniuersum in orbem inuecti. Neque etiam de ipso dubitandum Adamo est, quin dolorem, e labe originali conceptum, dulci Messiae recordatione lenierit. Quidni ergo de iis, quorum acta in extremis iam persequimur, Patribus, id asseramus, plenos illos fidei in Messiam ex hac uita discessisse? Cumque de Messia moribundi loquantur, speque incarnationis ipsius erigantur, dubitatione omnino caret, in *Terram* etiam Canaan, ueluti in *Terram Patriamque Messiae*, uenerabundos eos intueri. Quae quidem Christi Patria nec fugit Paganos, ex quibus LIBANIVS, ὁ σοφιστής, Christum dicit τὸν ἐκ Παλαιστίνης ἀνθρώπον, teste SOCRATE, d) sollicitè monente, loqui haec eum ἐπιχλευάζοντα, hoc est, *irridentem*. Adicit enim: Hunc Θεὸν τε καὶ Θεῶν παῖδα ποιεῖν, ut doceat, quam ridiculum sit, Deum in solo terrae cuiusdam prognasci. Sed, haec uelut in transcurso. Spectantur igitur, hac in Terra, Typi illi magni Messiae, personae uariae, cultum persoluentes Numini, hostiae, pro peccatis-caesae, altaria etiam, hinc sacro fumantia igne, hinc, uelut macella, multo uictimarum cruore respersa. Auditur nomen Messiae, ipsis Patrum enunciatum sermonibus. Deus ibi conspiciendum se praebet, tum sub uarij generis symbolis, tum ipsa specie humana, qua egregium ἰνσαρκώσεως suae praeludium edit. Populus Dei sedem ibi fixam habet, supplicat Deo suo, distinctis temporibus, statisque locis, plura peragit cultus sacri exercitia. Ex his atque alijs intelligunt, Terram illam tantis gaudere ornamentis, quibus terris antecellat alijs, quaecumque demum sint illae, siue nomina expendantur ac tituli, siue ipsa diuina benedictio, in foecunditate incredibili exsplendescens. Inde

c) GEN. IV. 1.

d) H. E. L. III. c. XXIII. p. 200.



Inde porro assequuntur, non frustra Deum haec esse Terrae illi largitum, sed, respectu habito ad Semen illud Mulieris, aliquando ibi proditurum. Neque dubitandum, quin, eius de persona atque officii, plura multo acceperint ex sermonibus, ipso cum Numine habitis, quam Codex Sacer, in diffusa illa Patriarcharum Oeconomia compendiaria ratione uersatus, consignarit. Nec frustrantur spe sua Patriarchae. Prodit enim ex hac Terra Messias, פרי ארץ *Fructus illius Terrae*, e) חסר *Virga*, f) יונק *Virgultum, Srolo, Surculus*, g) צמח *Germen*, h) צמח יהרה *Germen Iebouae*, i) צמח צדק *Germen Iustitiae*. k) In hac, inquam, Terra ille nascitur, ex hac egreditur, instar Virgae tenellae, quae uera uocabuli notio est, ut ex historia patet Originum Sacrarum, l) cum qua oracula, MICHAË ac MATTHAEI, conferantur. m) In eadem succrescit, multiplicatis annis, προκάρτων σοφία καὶ ἡλικία, καὶ χάριτι παρὰ Θεοῦ καὶ ἐνδεδωκότος. n) In eadem floret postea Virga illa, adumbrata iam quondam typica illa *Virga Aaronis florida*, o) cuius imaginem in Maria refulsisse, THOM. DE VILLA NOVA, PETR. DAMIANVS, ABSOLON ABBAS, alii, rentur, apud HIPPOL. MARACCIVM. p) At, maiori nobis iure מטה אהרן ipse *Christus* est, פרח et ציץ *Officium illius Propheticum*, שקדים denique *Doctrinae* saluberrimae, uerborum cortice inclusae. Hic igitur suo satisfacit Officio Prophetico, ubi, uoluntate patris annunciata, odorem suauissimum de se suaque doctrina, instar Virgae floridae, spargit. Quae tamen Virga, dum in eadem illa Terra omnium in se oculos conuertit, uiridis ac uegeta, succi et foecunditatis plena, medio in uirore, excinditur, ubi *Christus*, in ipso constitutus aetatis flore, sublato iure, damnatur capitis, uiolentoque mortis affectus genere, necatur. Huc literam redire Oraculi Prophetici: נגזר מן הים *EXCISVS EST e terra uiuentium*, q) nemo negauerit, qui uerbi נגזר interiorum significatum ad animum reuocauerit. Hoc secum ferebat Sacerdotale Christi Officium, quo Patri se exhibuit hostiam sacratissimam, peccata mundi in Crucis ara expiantem, aeterna inuenta redemptione. Quod, absque excisione e medio uiuentium, fieri non poterat.

F 2

poterat.

- e) IES. IV. 2. f) IES. XI. 1. g) IES. II. 6. n) LVC. II. 52. o) NVM. LIII. 1. h) ZACH. VI. 12. i) IES. XVII. 23. p) in *Polyantb. Mariana, L. IV. 2.* k) IER. XXIII. 5. l) GEN. XIII. p. 296. q) IES. LIII. 9. I. 12. m) MICH. V. 1. MATTH.



poterat. Itaque in hac Terra infelici illi ligno suffigitur, sanguinem effundit, ac trucidatur. In hac conditur, illatus sepulcro. In hac surgit ex mortuis, ac coelos denique, ut occupet eos, ascendit. Non hic pro dignitate loquitur de Christo, tanquam *homine Palaestino*, LVCIANVS, βλάσφημος, δόσφημος atque ἄθεος, ut recte dicitur SVIDAE, u. Λακιανός. Cultum enim, ipsi praestitum, accusat temere: Τὸν μίγαν ἐκείνον ἔτι σέβειν ἀνθρώπων, τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπαθόντα. r) Ad quem locum recte notat TANAQ FABER, respicere huc SVIDAM, ubi, LVCIANVM, ait, βλασφημῶν τὸν Χριστὸν ἐν τῇ τῷ Περειγίνῃ βίῳ. Vnde etiam diras imprecatur Auctori isti Conditor SCHOLIORVM GRAECORVM in LVCIANVM. s) Christi enim Patriam *Palaestinam* quidem dicimus, at tam abiecte de eo existimamus minime, ut vel nudum eum uocemus *hominem*, uel hominem quendam *suspensum*, quae Iudaeorum imprimis horrida uox est. Interim uidemus, quam Terram respectent Patres. Recte AVGVSTINVS: *Vbi sepelienda erant cadauera Patriarcharum, nisi in ea Terra, ubi ille crucifixus est, cuius sanguine facta est remissio peccatorum?* t) O quam dulcis igitur, in animis Patrum moribundorum, est recordatio Terrae illius, in cuius meditullio aliquando, peracta nece, effusaque sanguine, post innumera seruitia, nostri causa praestita, *quiescere* debebat *exanime corpus Sanctissimi Dei Filii*, eaque re quietem omnium, ἐν τῷ Κορίῳ mortuorum, sanctificare: Ita tamen, ut non in morte Messias maneat, sed cum corpore glorioso, uelut sponsus e thalamo, laetus incolumisque, egrediarur.

## X XIII.

**A** *Fide* igitur Patriarcharum, cum, arcessendam esse, declaratum fuerit, causam Desiderii, tam ingentis, palmariam, ne pondus defuit sententiae nostrae, de hac quomodo sit existimandum, uidentium est, sed in compendio. Id quod haud rectius fieri posse confido, quam, si primum, utrumque Patriarcharum uera expirasse *Fide*, ostendatur, postea euidentissimum, ea de re, effatum Apostolicum, illudque duplex, explanetur. Ultima utriusque acta literis prodit *Moses*, diuino afflatu tactus. u) Ac uerba quidem *Iacobi* ultima capitibus duobus,

r) *Dial. de Morte Peregrini, T. II. Opp. p. NES. LXVII. 29. sqq. XLIIIX. et 566. ed. Amstel. s) Opp. T. II. p. 45. XLIX. tor.*  
 t) *Quaest. CLXI. in Genesin. u) GE-*



obus, parte etiam praecedentis, explanate ille refert: sed ita, ut, notanter, Desiderium Sepulturae in Terra Sancta enarrationi ultimo-  
 rum et praemittat, et subnectat. Interferit complura, Fidei docu-  
 menta heroicae, strictim iam attingenda. Ultima enim instare, ubi  
 persentit Patriarcha, arcessito Iosepho filio, solenni formula, uocibus  
 que claris et distinctis, Desiderium aperit et curam Sepulturae suae,  
 quam, ipsa iurisiurandi religione compulsus, Iosephum exequi, cupit.  
 Deinde commemorat diuinae gratiae specimina, inter haec  
 praecipue apparitionem Dei omnipotentis in urbe Lus, siue Berhel,  
 cum benedictionis uberrimae promissione coniunctam. Benedicit  
 ipse Ephraimo ac Manassi, Iosephi filiis, manibus decussatim imposi-  
 tis, in figura Crucis, animo moribundi obuerfantis, ipsoque adeo  
 Messiae nomine, a quo omnem descendere benedictionem, pie anim-  
 aduertit. Quo facto, ipsi etiam benedicit Iosepho, tanta mentis  
 sanctitate, quantis uerborum ponderibus. Celebrat Deum, a quo  
 fuerit passus per omne tempus uitae, quemque ideo, qui רעה *s. Pa-*  
*stor* compelleretur, dignum habet. Praeterea Angelum illum extollit  
 increatum, Messiam, quem, illustri uocabulo, רואל dicit, hoc est, *Re-*  
*demtorem*, ratione habita partim beneficiorum, hactenus exhibitio-  
 rum, partim ipsius Redemptoris personae, in posterum sustinendae.  
 Ab hoc demum Iosephi filiis benedici, religiose cupit. Testatur  
 postea, coram Iosephi auribus, de Reditu Israelitarum, indubitato expe-  
 ctando, plenus πίστεως καὶ πνεύματος ἁγίου. His peractis, sermonem  
 illum ingreditur copiosum, ad singulos filiorum, impertita singulis  
 singulari benedictione. Qui sermo, undecunque spectetur, plenus  
 Fidei dicendus est, imprimis, ubi ad Iudam dirigitur, cui promittitur  
 שילה, eoque nomine uerus Messias. Quo sermone paulo longiori  
 ad finem perducto, horam adesse intelligit ἀναλύσεως suae, hinc de-  
 nuo reperit illud Sepulturae Desiderium, a quo ultima fuerat orditus,  
 et copiosius quidem, quam antea. Atque in hoc praecepto, omni-  
 um postremo, acquiescit, pedes colligit in lectum, ac pie, ad bene bea-  
 teque moriendum, compositus, expirat. Quis, haec contempla-  
 tus, de Fide Iacobi, uti uiuentis, sic moribundi, dubitandum esse,  
 reatur? A Iacobo ueniendum ad *Iosephum*, de cuius uerbis ultimis  
 tamen pauca referat Liber Originum, eo tamen minus de Fide illius  
 uidetur dubitandum, quo spectatoris fidei est assertum Apostoli,  
 postea producendum. Pluribus cum excurrisset in sermones Iacobi  
 Moses,



Moses, non opus esse, intelligit, ut uerba Iosephi eadem prosequatur industria, quem Patris ut opum, sic Fidei, heredem esse, cognitum erat. Interim magni omnino habenda sunt ponderis, quae hic differit. x) Erigit suos spe Reditus ex Aegypto, certo euenturi, quem non tam nunciat binis uicibus, quam promittit, innixus iurando diuino, ad quod prouocat uerbis clarissimis. Ad quam simul spem, in animis alendam suorum, addit curam Sepulchrae suae, quae, quanta quanta est, solam hanc respicit felicitatem, atque ita est concepta, ut nolit, transferri ossa ex Aegypto, nisi puncto illo, diuinitus destinato, irruente, quo Reditus subsequi debeat, non alia de causa, nisi, ut edoceat, quam uere, corpus suum transferri, flagitet, ex Aegypto, soloque inferri Cananaeo, tam indubitato ipsum illum Reditum populi Dei, cum quo ipse redire in Terram Sanctam cupiat, debere expectari. Haec Fidei documenta edit, haec praecepta eloquitur, in his denique acquiescit, placida beataque morte, Patriarchae persona ac fide digna, sopitus.

## XXIV.

Iam, ueram *Fidei professionem* per utriusque Patrum Desiderium edi, ex Oraculis duobus Diuinioribus certum exploratumque habemus. Primum eorum, quod pertinet ad *Iacobum*, aegrum illum, iamque animam trahentem, duo eidem uindicat, ex Πίστει profecta. ΠΙΣΤΕΙ Ιακώβ ἀποθνήσκων ἐκείσιν τῶν υἱῶν Ἰωσήφ εὐλόγησε καὶ ΠΡΟΣΕΚΥΝΗΣΕΝ ΕΠΙ ΤΟ ΑΚΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΒΔΟΥ ΑΥΤΟΥ. y) Noli demirari, quamobrem ad nostrum referatur institutum, quicquid hic rei geritur. Omni enim illud iure fieri, edoceat nos enarratio ultimorum Iacobi Mosaica, ad quam hic digitus intenditur. Flagitat Patriarcha Sepulchram in Terra Sancta. Cui se satisfacturum desiderio, Iosephus pollicetur. Petit ab eo pater iuramentum. Praestat filius. Quo facto, continuo *על ראש המטה ישתחו ישראל* *Inclinauit se Israel uersus caput lecti.* z) Vides iam ex serie enarrationis Mosaicae, inter duo illa membra effati Apostolici interferendam esse petitionem Sepulchrae, ipsamque Inclinationem non alia de causa cum benedictione coniungi, quam, quod petitio illa fuerit omissa, ad quam tamen tantum redit. Hac enim spe impetrandae Sepulchrae nixus, adorat Iacobus, *inclinato corpore*, ritu solenni, in ipsis etiam

x) GEN. L. 24. 25. y) HEBR. XI. 21.

z) GEN. XLVII. 31.

gen-



gentium adorationibus recepto. a) Quae adoratio non *ciuili* est, coram Iosepho, ut nonnulli rentur, sed praestita ipsi Deo, siue, adoratio *religiosa*, quod, uel ex Iudaeis, cum RASCHIO assequitur ABEN ESRA. Adorat super מטה *Lectus*, ut Textus ait Hebraeus. quomodo exprimit LUTHERVS, exprimunt Paraphraetae Chaldaei, ONKELOS et HIERSOLYMITANVS, cum his Textibus SAMARITANVS, ipsae etiam Graeci idiomatis Versiones, ACVILAE ac SYMMACHI, κλινη uertentes. Vti igitur מטה hic est *Lectus*, sic המטה ראש *Caput Lecti*, hoc est, pars lecti *superior*, siue *Cervical*, ex genio linguae sacrae. Ais autem: Quomodo ad *Cervical* adorauit Iacobus moribundus, lecto affixus? Respondemus: In lecto sedit, uel iacuit prostratus; iacens etiam, uel sedens, postularat iuramentum, locumque desiderarat Sepulchrae. Certior tamen hac de re factus, impetrato iuramento, plenus fidei, gaudii ac reuerentiae, conuersus ad *Cervical Lecti*, Deum suum adorat, ea fere ratione, qua Dauid, factis a seruis ipsius pro Salomone uotis. b) Cur uero hic ad *Cervical Lecti*? Non fallimur, si dixerimus, respectu habito Terrae Sanctae. Quemadmodum enim Hebraei ueteres, *precantes* uel *adorantes*, in Adyto, quod soli contigit Pontifici Maximo, facies conuertebant uersus *Propitiatorium*, in Sancto, uersus *Adytum*, in Templo, uersus *Sanctum*, Hierosolymis, uersus *Templum*, in Palaestina, uersus *Hierosolyma*, in regionibus remotioribus et gentium, uersus *Palaestinum*, siue *Terram Sanctam*: c) Ita Iacobus, a Terrae illius Sanctae regionibus distans, hic conuertit se ad *caput lecti*, a quo non longe uidentur remoti fuisse cancelli, per quos prospectabatur uersus Palaestinam. Oculos ergo coniecit Patriarcha in Regionem illam, Deo sacram, Deoque peragit gratias, quod nunc sciat, se noti sui futurum esse componentem, ac Sepulchrum nacturum in Terra Sancta, quae pedibus Messiae et uestigiis aliquando uenerabilis sit reddenda. Grates persoluit, quod eam in Terram, quam anhelarit uiuus, introducatur tamen mortuus, ac fide iam praevidet euentum diuinae promissionis, de reducendis posteris in Terram Canaan, quam ut Deus impleat, eosdemque

a) Vid. MATTH. BROVERII DE NIEDECK, Icti, *Lib. de Pop. Vet. et Rec. Adorat.* p. 178. sq. b) I. REG. I. 47. c) MAIMON. *Tepb. Vbir-cab Cobanim*, cap. V. Exempla spectentur in Daniele, in carcere Babylonico

מטה ירושלים נגד *precante*, VI. II. Dauide, oculos ad Montes Templi tollente, PS. CXXI. I. Israelitis etiam, uersus Urbem Elsam ac Templum in itinere supplicandus, I. REG. VIII. 44.



mox, sequi se iubeat, ardentem orat. Omnis ergo *Inclinatio* illa, cum fiat demum, Sepulturae promissione facta, mirum non est, si opus dicatur Πίστως Apostolo. Sed caue, obstare tibi existimes ultima Apostoli, quibus *Inclinationem* pronunciat factam ad extremitatem <sup>της παρῶν</sup>. Ita clarissime in V. T. ALEXANDRINI. Ita ibidem SYRVS: Ⲑⲓⲟⲩⲁⲛⲁⲛⲁ *super caput VIRGVLAE SVAE*. A qua magna et illustri controuersia, quae in torsit Viros Clarissimos, ut certent inter se, altercentur, digladiantur, abstinere plane, nisi, dictionem Apostoli hactenus expositae, de *Inclinatione Iacobi, uersus Terram Sanctam facta*, sententiae refragari, existimari possent. Hic quid mihi uelim, uerbo aperiarn. Obseruo, distare omnino Textum Hebraeum a Versione Alexandrina, ipsaque interpretatione Paullina, cum ibi de *lecto* dicatur, hic de *secpo* et *baculo*. Addo, Alexandrinos per errorem legisse הַבַּר, cum legendum fuisset הַבַּר, uocalibus, illo in Codice, uel non expressis bene, uel ab ipsis neglectis. Credo etiam, Paullum uere, in hoc oraculo, locum non respexisse alium, nisi hunc de *Sepultura Iacobi*. Quomodo uero Textus Pauli componetur cum LXX. SENIBVS, hos cum dixerim lapsos? Respondeo, Apostolum, more Sacrorum Virorum, et hic retinuisse Textum illum Graecum, inter Iudaeos magna tum pollentem auctoritate, non uero ob auctoritatem tantum, quae errores non uindicat, sed, quod conuenerit, illum non aduersari ueritati Mosaicae, sed noui quid adiciere, rem ipsam circumstantis. Hinc, cum *Inclinationem uersus cervical* et *Terram Canaan* notarit iam Spiritus S. in loco Instrumenti Veteris, retinuit simul *Inclinationem super baculo*, ueluti momentum nouum, in N. F. paginis. Vnde ex utroque loco, inter se comparato, accipimus, Iacobum moribundum inclinasse se uersus *cervical*, siue, uersus Terram Sanctam, ubi requiescere corpus debebat; sed eandem etiam *Inclinationem* factam ad *extremitatem baculi*, in quo, sedens et uersus *Cervical* conuersus, senum more, innitebatur. Quam conciliandi rationem, in compendio, ad locum Geneleos controueruentem, iam indicasse Chariss. PARENTEM, recorder. At, uideo, ea de re, de qua disserui paucis, Viro Doctissimo, G. L. OEDERO, d) qui, minus receptorum opinionum studio, famam nominis est consecutus, in mentem uenisse nonnulla, strictim hic conferenda. Huic enim locus Apostoli cum Mosaico illo non uidetur παράλληλος, neque ad

d) Obseru. Sacrar. Synt. p. 730.



ad caput XLVII. eiusque finem, ut a plerisque recte factum, sed ad sequens potius cap. XLVIII. referendus. Id quod asserit, duabus inductus rationibus, quarum altera est, produci ab Apostolo *Iacobum moribundum*, ἀποθνήσκοντα, qualis tamen capite XLVII. haud appareat: altera, respicere eum ad *Inclinationem* quandam, *benedictioni filiorum Iosephi subiunctam*. Pauca monenda sunt, sed distincte, ut vim roborque sententiae, iam iam expositae, tueamur. I. Cum Iacob Apostolo ἀποθνήσκων dicitur, non de eo temporis interuallo intelligenda vox est, quo mortis expectandus articulus, quoque anima ipsa efflanda, sed de longe ampliori, quo morbus, letalis ille atque ingrauescens, saeviebat. II. Morbus, in fine cap. XLVII. descriptus, ab eo, qui capite XLVIII. enarratur, distinctus existimandus non est, sed unus cum eo idemque, letalis videlicet, cuius initium iam cap. XLVII. constituitur, ubi uocabulum מוֹלַל u. 29. dictioni Apostolicae uere responderet. III. Si, quod largitur Vir Cel. Iacob dici potest εἰποθνήσκων in actu benedictionis, filiis Iosephi collatae, in quo tamen, si uox in rigore sumatur, talis non fuit, cum sermo postea deum instituat copiosior ad Tribuum singulas, et languidum illud מוֹלַל absolutae deum benedictioni succedat, cur non in hac, de qua exposuimus, cuique Sepulturae curam sapienter praemitit Patriarcha, Inclinatione, moribundum eum agnoscamus? IV. Ex capite XLVIII. non peti potest locus, qui Apostolico sit uere παρόλληλος. Quae enim u. 2. literis proditur, confortatio Iacobi super lecto, nuda erectio, non Inclinatione est, et, quod u. 12. de Inclinatione legitur, non ad Iacobum, sed ad Iosephum, Textus refert. V. Incuratio Iacobi non potest, auctoritate Apostoli, subiecti benedictioni filiorum Iosephi, ut V. C. uisum, cum ipse Apostolus, Iacobum se uel ob benedictionem illam, uel post eandem, inclinasse, haud afferat. Respicit potius Inclinatione illa ipsum uocabulum πίστεως, dum duplex enarratur opus, ex πίστεως profectum, quorum unum est benedictio filiorum Iosephi, qua promissionem, in Iosepho implendam, amplectitur Iacobus, alterum, Inclinatione ob Sepulturam promissam. Quorum actuum cum uterque distinctissimus sit, ueritas rei ipsius, alio licet, quam Mosaisco, ordine comparentis, haudquaquam laesitur. VI. Quod V. C. ait, Apostolum uerbis τῶν LXX. ex fine GEN. XLVII. utpote notis, ad illustrandam erectionem coram Iosepho, initio cap. XLVIII. descriptam, usum, gratis forsan asseritur, cum ratio



tio non subsit, cur, Apostolum, si locum respectasset posteriorem, a Graeca uerborum illorum interpretatione recessisse, opinemur. Sed, transeant haec, ad quae delati fuimus ductu Inclinationis Iacobi.

## XXV.

**A** Patriarcharum uno progrediamur ad alterum, a Iacobo ad *Iosephum*. Quid clarius hic atque euidentius, tantae asserto auctoritatis, cui soli fidem habere, non est, cur dubitemus. ΠΙΣΤΕΙ Ιωσήφ, τελευτῶν, περὶ τῆς ἐξόδου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐμνημόνευσε, καὶ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΟΣΤΕΩΝ ΑΥΤΟΥ ΕΝΕΤΕΙΑΑΤΟ. e) Quicquid hic agitur, testimonium nobis est, longe spectatissimum, de *πίσει* Iosephi, de Fide illa Patriarchali et heroica, quae tanto pluris habenda est, quanto remotior fuit ab omni simulationis, et perfidiae aspersae, suspicione. Qua enim *πίσει* Deo uixerat, qua omnis generis difficultates et incommoda heroica uirtute eluserat, hac eidem in ipsis adhaeret ultimis, ubi discendum e uita est, incredibili mentis constantia probata. Produciatur Iosephus τελευτῶν, non tam aeger, morbi saeuientis cruciatibus distortus, quam ultimum potius spiritum, fractis uiribus, futuram contemplatus uitam, et de hac caduca cogitans, cum aeterna placide permutanda. Qua quidem persona Patriarchae moribundi nescio, quid sanctius, quid plenius reuerentia, excogitari possit? Sed, quidnam ibi agatur, si exquiras, *Egressionis Israelitarum ex Aegypto* eum accipis *recordatum*, siue *animo potius agitantem* eam, quae uera uerbi *μνημόνευσεν* uis est, f) non, quasi eam, alta olim obliuione sepultam, iam demum, in mortis articulo, ad animum reuocarit, sed, ut ostendatur, quo propius accesserint ultima, hoc copiosorem, frequentiore, sanctiorem, illius fuisse ea de re cogitationem, qua non ipse delectatus fuerit tantum, sed lectulo circumstantes erexerit, argumento spei ualidissimo usus. Quod uox LUTHERI paraphrastica firmat: *Durch den Glauben* REDET Ioseph, *da er starb*. Cum qua recordatione coniunctus est sermo de *transfereendis ossibus*, hoc est, omnibus illis, quae, praeter partem nobiliorem, ad mentium beatarum concilium auocatam, supererant, reliquiis: qui quidem sermo, cum *praecepti* proferatur nomine, tanto fortius de Desiderio, illa sub re latente, conuincere nos potest. Satis iam ponderis, utriusque effari auctoritate, hactenus dictis allatum, credo.

## XXVI.

e) HEBR. XI. 22. f) II. TIM. II. 8.



## XXVI.

Insignis hic agitanda est quaestio: Vtrum, ex hoc ipso Patriarcharum, quo fide amplexi sunt Messiae tempora, quodque explanate tradidimus, Desiderio, argumentari liceat ad *Desiderium Resurrectionis Corporum*, cum resurgente Christo consequendae? Res est, stuporis plenissima, quae in ipsa hora, Seruatori nostro fatali, accidit, nititurque spectata MATTHAEI, g) praeconis diuini, fide. Obeunte Seruatore, spirituque reddito, post effecta alia mirabilia, uelum fessum, petras diffillas, terram, suis quasi luxatam conuulsamque fedi- bus, ipsa etiam *μνημεία ἀνεώχθησαν*, diffractis, magno cum fragore, claustris ac repagulis, foribus reclusis, disiectis lapidibus ac molibus impositis, ut cineres spectentur corporum, quieti redditorum. Vbi enim a uisceribus terrae recipiendum est corpus Christi exanime, sponte sua promptam se ea, paratamque, testatur. Cumque ipse mortis decedat Dominus, qui et occludendi Sepulcra, et recludendi, potestate pollet, cernitur iam, ut IUSTINVS, cum EVSEBIO EMISENO, docet, h) ipse mortis Christi *fructus*, dum apparent mortui, uelut *Obsides Resurrectionis nostrae*, quae pia THEODORETI i) uox est. Prodeunt enim *σώματα*, antea, efflata anima, mortua, exsanguia, putrida, iam uiuida, animata, carnisque glorificatae ueste circumfusa. Quaquam autem camerae recluduntur in ipso mortis Christi articulo, non prius tamen uiuificantur corpora, quam Sacro Paschali, egresso Christo, *τῇ ἀπαρχῇ τῶν κοιμημένων*. k) Corpora haec sunt *κοιμημένων*, dormientium in cameris suis ac dormitoriis, alto sopita somno, eoque reposita, ut resurrectionem expectent. Sunt corpora *ἀγίων*, ob sanctitatem, hac in uita inchoatam, in morte consummatam, qua, ut *ἀποθήσκοντες ἐν Κυρίῳ*, imputata sanctitate Christi, iustificari habentur a peccato. Prodeunt ita, ut statim Urbem ingre- dianter Sanctam, siue Hierosolyma, quae quidem Vrbs הקודש עיר itemque *ἀγία πόλις* dicitur in Sacris, l) praeterea ירושלים in ipsis Samaritanorum Numis: m) ibidemque conspiciendos se- dant cum glorificatis suis corporibus, quae ea ratione oculis usur- pan-

G 2

b) XXVII. 52. 53. h) Apud IO. GER- NEHEM. XI. I. MATTH. IV. 5.  
HARDVM, Hept. Diff. Theol. Diff. m) ADR. RELAND. Diff. V. de Na-  
V. § XXVII. T. ult. Loc. Theol. i) mis Samarit. p. 185. 186. EZ. SPAN.  
Cent. I. Quaest. Illustr. Theol. k) I. CO- HEM. de Praesi. et Vsu Numism. Diff.  
RINTH. \*V. 20. l) IES. LIII. I. IV. p. 334.



pantur infirmi corporis, qua gloria corporis Christi a discipulis atque amicis. Ad quaestionem tamen si responderi recte debeat, quoniam sub nomine intelligantur *ἀγίων*, exponendum est. Nihil hic definiendum, sed *ἐπιχρῆσι* potius eligendum, quibusdam uisum est, inter hos MAGNO IO. GERHARDO. n) Qui Vates Diuinos V. T. respectatos, rentur, eorum sententia nititur Epistola quadam IGNATII, ad *Magnetios* scripta, quarum tamen Epistolarum fidem labefecerunt LARROQUANVS, DALLAEVS, SALMASIVS, plures. Non praeterit nos, esse, qui ipsa Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi, praeterea Noae, Adami, Melchisedeci, Iobi, aliorum, suscitata uelint corpora, quorum sententiam paucis referunt POL. LYSE-RVS, o) et IO. GERHARDVS. p) Pluribus forsitan hoc asseruit, in singulari, de *Resurrectione sanctorum Patrum cum Christo*, Dissertatione, nobis tamen nondum inspecta, AVGVSTIN. CALMETVS. q) Ceteris omnibus uidetur praestare ea respondendi ratio, si cum plurimis, et piorum, et doctiorum Interpretum, illa intelligantur corpora, quae, haud ita pridem, se iuncta ab anima, terrae fuerant red-dita, qualia erant Simeonis, Hannae, Zachariae, Elisabéthae, plu-rium. Ita ERASMVVS SCHMIDIVS. r) Accedit HENR. MVLLERVS. s) Ita etiam LOCKIVS et LAMPIVS, teste WOLFIO, τὴν *μακαρίαν*. t) Erant illa sepulta, non circa Templum, quod, mi-rum est, asserere HENR. HAMMONDVMS, u) qui inter concussa re-ferret *Templi partes*, inter has *Monimenta*. At, recte hoc ad h. l. ne-gat IO. CLERICVS, Montis Templi sanctitatem pollutionem respuisse, mortuorum ossibus contractam, ostendens. Quae enim de Iacobo, post praecipitationem, e Lorica Templi factam, iuxta *Templum* sepulto, narrantur, fabulam esse, Idem docet, qua HIERONYMO im-posuerit HEGESIPPVS, cuius ideo testimonium *ἡθελίαν* historiae pro-dat VALESIO. Sed, quod non sine causa ad hanc rem deferamur, ut pateat, habes testimonia Virorum Theologorum, quibus ita uisum fuit. Produco SAM. BENED. CARPZOVIUM, *Dieses*, inqui-entem, (Sepulturam in Terra Sancta,) *begebrte Ioseph durch den Glauben an den zukünftigen Messiam, der in diesem Lande solte sterben und begraben werden, und auch durch sein Leiden und Aufstehung*

n) l. c. §. XXIV. o) in Iosepho, p. 447. not. in N. T. p. 370. s) in Iesu Pat. p. p) l. c. §. XXII. q) Inserta Tomo II. 479. 480. r) Cur. Phil. et Crit. ad h. l. Dissert. eius, Paris. ed. 1720. r) Au. p. 412. u) Annot. ad N. T. p. 120.



bung die Gräber der Heiligen aufstun, und ihre lebendig gemachte Gebeine heraus führen. *Matth. XXVII. 52. x*) Ita ABR. CALOVIVS, ex sententia Veterum, inter causas huius Desiderii hanc retulit: *Non ignorabat, (Patriarcha.) Terram Canaan fore veritatis divinae et Ecclesiae sedem, ac Messiae patriam, in qua ipse nasci, docere, mori ac resurgere debeat, ac praevidebat forte in spiritu, cum Messia ibi Sanctorum corpora resurrectura, Matth. XXVII. 52. seque in eorum numero fore, optabat ac sperabat. y*) Eandem sententiam, ex mente Veterum, POLYCYSERVS paucis exponit *z*) Ipse etiam LUTHERVS, ita se exultimare, triplici in loco fassus est, a) non hac solum mente, pronuncians, Patriarchas elocutos Desiderium suum, sed et, tempore resurgentis Christi, voti sui redditos compotes. Ex his LUTHERI locis quendam excerpit DANNHAVERVS, b) qui, licet videatur illius duntaxat mentem eloqui, prioribus tamen accensetur a BEBELIO. c) Iam, quae de ipsa quaestione pronuntianda sint, aperiemus, aliquot numeris, distinctionis ergo, comprehensa. I. Patriarchas, ea de causa, eaque spe, hunc flagitasse Sepulturae locum, sine omni dici temperamento nequit, cum desint argumenta idonea, e Textus visceribus hausta. II. Fieri potuisset Patriarcharum, cum Christo surgente, Resurrectio, non tantum, si ipsi moribundi decessissent absque Desiderio, sed etiam, si corpora ipsorum in solo humata fuissent Aegyptio. III. Si verum est, quod refertur a multis, corpora Patriarcharum omnium, Patriarcharum etiam, vel cineres tamen atque ossa, adhuc Hebrone quiescere, profecto neganda erat Resurrectio. IV. Non videntur Sancti tam disiuncti, sed propiores, tum produsse. Ingrediuntur enim Urbem illam Sanctam, quam propinquam fuisse, credibile est. Et ipsa Sepulcra hiantia, prope pomeria Ierosolymitanis, a magna peregrinorum multitudine, ad Pascha quae confluerat. Quorum utrumque tamen, si remota intelligantur Sepulcra Hebronitica, asseri nequit. V. Quodsi euinci posset, surrexisse remotos, de Patriarchis rectius dici, quam de aliis, fatendum est. VI. Non igitur inficiamur prorsus id, de quo quaeritur, neque Theologorum probatissimorum repudiamus sententiam, sed acquiesci-

G 3

x) Praef. zu denen Grünenden Gebeinen, *nes. c. XLVII. XLIX. et L.* b) *Ho-*  
*P. I. p. 5.* y) *Comm. in Genesim, p. 1356.* *dosoph. p. 144.* c) *Diff. de Bis Mortuis,*  
 z) *In Iosapho, p. 447.* a) *Comm. in Ge-* *p. 18. §. XXI.*



mus in iis, quae sequuntur. Expetunt Patriarchae Sepulturam in Terra Sancta, *πίσις*, ex asserto Paullino. Quia autem, quae Fide desiderantur, impetrantur a Deo, dicimus, quod, si desiderarint Resurrectionem cum Christo, Desiderii sui, ac voti, tempore suo fuerint damnati, sin Resurrectio haud fuerit subsecuta, neque iis Desiderium illud, silente pagina sacra, commode possit ascribi.

## XXVII.

Atque haec est ratio Desiderii Patriarcharum extorrium, in qua iam pro dignitate exposita, possemus subsistere. At, ne frustra desiderasse haec uideantur, iuuat felicem *Desiderii exitum, impletionemque, post obitum factam*, paucis adhuc contemplari. Voti enim sui post fata compos redditus uterque, in Cryptis Hebroniticis, uelut in קברות התאוו, seu SEPVLCRIS DESIDERII, d) quae ratione, praesenti argumento conueniente, intelligantur, reponitur. Translata post mortem *Iacobi* Ossa, non tantum PATRICIDES atque ELMACINVS prodiderunt literis, Eruditi inter Arabes, magnaeque existimationis, Viri; e) sed ipsa etiam Monumenta Mosaica, *Iacobi* exuias, statim post obitum, prout desiderarat, ex Aegypto processisse in Terram Canaan, capite *Geneseos* ultimo confirmant. Postquam enim obdormiuit, Aegypto more ungitur a uiris, sua in arte nauiter uersatis, quod partim mores loci postulant, partim iter longinquum, corpori exanimato sustinendum. Habentur dies conditurae. Adii-ciuntur dies lucrus. Quibus transactis, impetrata a Rege uenia, funus effertur e terris Aegyptiis, magno cum splendore, pompa ac magnificentia, comitantibus illud Iosephi domesticis, Pharaonis ministris, ipsius Aegypti senioribus, seruis Iacobi, multis praeterea aliorum hominum, itemque equorum curruumue, agminibus. Vnde mirari noli, si legas apud IOSEPHVM, donatum a filio fuisse Iacobum *sepultura pretiosa*. *Ἰωσήφος δὲ συγχαρῆσαντος αὐτῷ τῷ βασιλείῳ, τὸν τῷ πατρὸς νεκρὸν εἰς Χιβρώνια κομίσας, ἐκεί θάπτει ΠΟΛΥΤΕΛΩΣ.* f) Recte, πολυτελῶς, inquit, hoc est, *magno sumtu, multis impensis*, quae uis uocabuli propria est, confirmata a Scriptoribus Sacris, qui eodem tum *luxum* feminarum in uestibus describunt, tum *pretium* olei Nardini. g) Quis est enim, qui non intelligat, sumtibus fuisse opus ad ipsam

d) NVMER. XI. 34. e) Apud HOTTING. in *Smegm. Orient.* p. 380. f) *Antiq. Iud. L. II. c. IIX.* g) I. TI. MOTH. II. 9. MARC. XIV. 3.



ipsam corporis condituram, ad tantum etiam, tanto in itinere, apparatus, ut alia praeteream. Sic, qui per omnem peregrinatus fuerat vitam, ultimam iam, mortuus, profectionem suscipit, qua demum ad ueram perducitur, placidamque quietem, comite Deo ipso, qui Ossa Sanctorum suorum, gratia sua tegente, fouet et custodit. Hinc, ubi promiserat, se uelle *descendere* cum eo in Aegyptum, pollicetur ei: **הנכי אעך גם עלי** *Ego adducam te etiam, ascendendo, sc. tecum;* h) quod, quanquam non nego, ad posteros praecipue Iacobi spectare, nihilo tamen secius ipsam corporis Iacobi exanimis curam, tanto itinere, promitti simul, non est, cur dubitemus. Hoc si finus Israelis, qui idem cum Iacobo est, uideas, fieri aliter nequit, quin illud pronuncies Vatis Diuini: *Abit Israel ad Quietem suam.* i) Vident ergo iam illustre fidei exemplum comites funeris, cum, qui uiuus Terram expectarat Sanctam, mortuus, damnatus uoti, eo transuehatur. Spectant corpus, abiens ad quierem, anima iam in alia Terra, omnium Sanctissima, placida requie perfruente. Ipsi sibi hic typum, constituunt Israelitae futurae suae profectionis, qua, sine subsequente reditu, sint discessuri in Palaestinam. Luctum perfoluunt patri suo publicum, sub dio, spectante omni Areae Atad incolae. Venitur tandem in ipsam Terram Sanctam, Solumque Hebroniticum, ubi corpus exanime, uelut nobilissimum Granum Triticeum, k) recorditur, ut aliquando, cum Deo uisum fuerit, efflorescat. Quo Sepulchrae negotio confecto, redeunt in Aegyptum comites, ipseque Iosephus, patre orbus, res suas ibi persequitur, donec ipse de uita decedat.

## XXVIII.

**D**ecedit etiam tandem in Aegypto de statione uitae, pie sancteque transactae, Patriarcharum illorum alter, *Iosephus*. Cuius post mortem agitur cum eo, ut praeceperat. Transferitur in Terram Sanctam, sed non prius, quam, facto ipso Israelitarum Reditu. Qui, cum, longo tempore post, subsequatur, corpus interea Iosephi medicatum, **בארון** *in Arca*, in Aegypto asseruatur; l) qua quidem uoce nihil intelligitur aliud, quam *Arca feralis*, *Locus*, *Sandapila*, quae ueteribus dicitur **σαρδος**, **νεκροΦορεϊον**, **κιβωτός**, **νεκροΦορικὸν ἀγγεϊον**, *Capulus* item, et **λάρναξ**. Hebraeam uocem retinet **ONKELOS**, transferens per

h) GEN. XLVI. 4. i) IER. XXXI. 2. *ment. in Ioannem, T. II. p. 85. sqq. 1)*  
 k) IO. XII. 24. Conf. LAMPE, *Com-* GEN. L. 26.



per ארון, sed HIEROSOLYMITANVS Interpres per גלוסקמא exprimit; quod Graecorum γλωσσόκομον est, sensu eodem. SYRVS, per ארון Arcam, reddit. Hanc aeneam R. BECHAI, plumbeam liber PETHIRATH MOSCHE, marmoream PATRICIDES, Arabs, ferream TALMYDICI, dicunt. Quae praetermitto, cum certi quid definiti nequeat, quanquam me haud praeterit, ueteres Loculis usos multifarii generis, ex argento, aere, orichalco, ferro, plumbo, stanno, electro, magnete, marmore, uasis cocrilibus et ficrilibus, plinthis, tegulis, argilla, creta, ligno, uitro, confectis. m) Verum, ubi asseruatum fuerit interrea corpus, hoc non exprimitur in Textu Sacro, unde multa extant commenta Iudaica, de Arca Iosephi, in Nilum coniecta, de muliercula, Sara, Reditus tempore Mosi, tribus diebus quaerenti, corpus Iosephi indicante, de Arca, per artes magicas a Mose e Nilo excita, de Nominis Diuini, יהוה, in negotio illo, efficacia, et quae alia sunt, quae persequi taedet. Consimilia his, de Diis suis, Virisque illis, quorum acta ex historia Iosephi, eiusque gestis, composuerunt, effinxere gentes, apud PLVTARCHVM, PAVSANIAM, LVCIANVM, SOLINVM, PLINIVM, HERODOTVM. n) Tametsi autem funus Iosephi non aequè copiose, ac Iacobi, enarrat Codex Sacer, refert tamen ea in locis aliis, ex quibus, praeceptum Iosephi, cognoscere licet, sanctè obseruatum. Sic clarissima est litera effati illius: o) ויקח משה את עצמות יוסף עמו כי השבע השביע את בני ישראל לאמר פקד ופקד אלהים אתכם והעלותם עצמותי מזה אתכם: ואת עצמות יוסף אשר Conferas aliud eiusdem auctoritatis: p) העלו בני ישראל ממצרים קברו בשכם בחלקת השדה אשר קנה יעקב מאת בני חמור אבי שכם במאה קשיטה ויהיו Excutias Oraculum Novi Foederis, in quo Stephanus hac de re disserit, q) quod quomodo cum re ipsa componi debeat, ostensum est a Viris Doctis. r) Ipse denique audiatur SIRACIDES, de funere Iosephi: τὰ ὄσῳ αὐτῷ ἐπιστάτησαν. s) Sic nihil potula-

m) IO. FAES, ad GYRALDVM, de Rit. in Sepel. Opp. GYR. T. I. p. 728. n) Conf. IO. BEN. CARPZOV. de Sepult. Iosephi, Diss. Acad. p. 1696. sqq. BRAVN. de Planctu ob Thammuz, in Select. Sacr. L. IV. c. XIII. Summe Reuer. SAL. DEYLING. de Fletu super Thammuz, in obs. Sacr. P. III. p. 438. sqq. o) EXOD. XIII. 19. p) IOS. XXIV. 32. q) ACT. VII. 16. r) Confer B. WOLFII Cur. Pbil. et Crit. ad b. l. et Auctores, ab eo adductos. s) XLIX. 15.



stularunt Patriarchae suis a filiis, quod ab his, pietatis atque obsequii religione ductis, non fuerit praestitum.

## XXIX.

Vbi iam ad finem perducitur excussio materiae praesentis, in manus incurrit nostras Liber Pseudepigraphus: ΑΙ Διαθήκαι τῶν ἱβ̄ Πατριαρχῶν, τῶν υἱῶν Ἰακώβ, πρὸς τὰς υἱὰς αὐτῶν, qui in Decreto GELASII, Pontificis, t) nomine Testamenti *Iobi*, in aliis Codd. *Iacobi*, adducitur, literis β̄, distincte considerandis, pro uoce compendiarie habitis. Hunc, uel ea de causa, hic negligendum haud putauimus, quod quaedam ibi scripta uidemus, appendicis loco annectenda. Liber ipse pro supposito habendus et commentitio, cuius Auctorem *Christianum* cenfer NIC. LE NOVRRY, *Christianum Iudaizantem*, IO. ALB. FABRICIVS, *Iudaeum, ad Christianismum conuersum*, CAVE, DODWELL, alii; At, GRABIO Auctor Libri *Iudaeus* uidetur, Interpolator uero *Christianus*. Textus Libri *Graecus* est, quem in Linguam Latii, circa A. 1242. transfudit Episcopus Lincolnensis, Robertus Grossereft, aliis Grodeke, aliis Grossthead, uero autem nomine, a Grossa Testa, opera adiutus Nicolai Graeci, Clerici Abbatis S. Albani, ut appellatur MATTHAEO PARISIENSI. Afferuantur tum Latina huius Libri, tum Graeca, Exemplaria, in Bibliothecis praestantioribus, Oxonii, Cantabrigiae, Parisiis, manu exarata. Latine diuulgatus, prodiit primum in uariis Patrum Bibliothecis, Basileensibus, Coloniensibus, Lugdunensibus, Parisiensibus, quod annotat, earum in recensione, THOM. ITTIGIVS. u) Graecus Textus non integer extitit, sed periodi duntaxat quaedam intextae fuerunt Scriptis COTELERII, GALEI, WHARTONI; e Codd. Gallicanis atque Anglicanis descriptae. Vnde, cum Anglorum quidam Graeco - Latinam meditarentur totius Libri editionem, nec perficerent, protractum est postea Exemplar Graecum, atque editum a IO. ERN. GRABIO, cum Versione ROBERTI Latina, Introductione ac Notis eruditissimis, *T. I. Spicilegii Patrum*. Eundem Textum, eandemque Versionem, exhibuit post eum FABRICIVS, adiectis iis, quae diligentiae Grabianae accepta sunt referenda. Interim Liber ipse uere suppositus est, atque, ut LE NOVRRY ait, *opus adulterinum*.

t) Vid. Decret. Gratiani, *Distinct.* 15. *Can.* u) de *Biblioth. et Caten. Patrum*, p. 6. *Sancta Romana*, p. 14. Ed. PITH. 20. 120. 422. 488.



num, ignoto parente editum. Verus enim Auctor ignoratur omnino, multaque sunt aspersa, quae in rebus historicis oppido fallunt, ex qua, alisque causis, non ab ipsis Patriarchis confectus putandus est, sed a quodam, nomine Patriarcharum, confectus, eadem fraude, qua *Testamentum τριῶν Πατριαρχῶν, Oratio Iosephi et Διαθήκη Μωσέως*. Quae praemonenda strictim duximus. Plura legantur apud NIC. LE NOVRRY, x) IO. ERN. GRABIVM, y) IO. ALB. FABRICIVM, z) quibus SIXTVS addatur SENENSIS. a) Ad quem tamen Librum cur iam prouocemus, paucis ostendendum est. Introducuntur hic XII. Patriarchae, siue XII. Iacobi filii, moribundi, ad posteros suos ultima uerba facientes. Quilibet ex iis annunciat futura, indubitato euentura, praecipit de rebus uariis, ad uitam, bene beateque agendam, spectantibus. In fine sermonum plerique significant, Desiderio se teneri Terrae Sanctae, ideoque flagitare, ut corpora sua, non quidem statim post obitum, tempore tamen eo, quo educiturus sit Deus Israelitas, transferantur in Palaestinam, ibidemque in Patria Spelunca condantur. Quorum etiam omnium expectationi respondisse euentum, Auctor Libri testatur. Audiamus ipsa eorum Desideria, ut fides huic rei habeatur. Sic Testamentum IYDAE: Αναγείγετέ με εἰς Χεβρών μεθ' ὑμῶν. b) Test. ISASCHARIS: Καὶ ἐντείλατο αὐτοῖς, ὅπως ἀναγάγωσιν αὐτὸν ἐν Χεβρών, καὶ κεί αὐτὸν θάψωσιν ἐν τῷ σπηλαίῳ μετὰ τῶν πατέρων αὐτῶν. c) Test. NAPHTALI: Παρεκάλεισεν, ἵνα μετακομίτωσι τὰ ὀσῶ εἰς Χεβρών, καὶ θάψωσιν αὐτὸν μετὰ τῶν πατέρων αὐτῶν. d) Test. GAD: Τέσσα μὲν, ὑπακύσατε τῶν πατρῶν ὑμῶν, καὶ θάψατέ με σὺν γγυὸς τῶν πατέρων μὲν. e) Test. ASER: Θάψατέ με εἰς Χεβρών. f) Test. BENIAMINIS: Ἐντίλομαι ὑμῶν, τέσσα μὲν, ἀνεύγηματε τὰ ὀσῶ μὲν ἐξ Αἰγύπτου, καὶ θάψατέ με εἰς Χεβρών, ἐγγυὸς τῶν πατέρων μὲν. g) Sed ipsum etiam adiciatur Iosephi Desiderium, de quo latius exposuimus. Hoc, accessionibus quibusdam adaugtum, in Test. IOSEPHI legitur: Συνανοίσατε τὰ ὀσῶ μὲν μεθ' ὑμῶν, ὅτι, ἀναγομένων τῶν ὀσίων μὲν, Κύριος ἐν Φωτὶ ἔσα μὲθ' ὑμῶν, καὶ Βελιζῶ ἐν σκότει μετὰ τῶν Αἰγυπτίων. h) Quae si expendimus, subodorari omnino licet, omnia, quae hic aguntur, ac pro-

x) Appar. ad Bibl. Max. Patrum, T. I. p. 446. sqq. y) Spicil. Patrum, T. I. p. 129. d) p. 217. e) p. 224. f) 229. g) p. 190. z) l. c. p. 496. sqq. 517. sqq. 788. 252. 253. h) p. 244.

a) Biblioth. S. L. XI. p. 112.



pronunciantur, conficta esse ad normam ultimorum dictorum, et gestorum, Patriarcharum extorrium. Expendamus praedictionem futurorum, a XII. Patriarchis editam, contemplemur Desiderium Sepulturae, respiciamus terminum Eduktionis ex Aegypto, atque, omnia ex ultimis Iacobi et Iosephi dictis gestisque coaluisse, intelligemus. Videmus iam fontem uerum argumenti totius istius Libri, de quo, non est, quod ulterius disputetur.

## XXX.

Quae *bodierna* sit *Specus Hebronitici facies*, tamen, in tanta monimentorum, fide dignorum, penuria, explorare nobis uix licet, audiendum tamen, hac de re quid referant duo Iudaei, literis prodita. Vnus eorum est R. BENIAMIN, a Patre, *ben Iona* dictus, a patria, *Tudeleusis*, in cuius Itinerario, typis crebro exscripto, Virorumque Doctorum animaduersionibus illustrato, i) ut multa, lectu digna, occurrunt, sic haud pauca Iudaica, *ἀσέβητα*, gloriosa, uana, *ῥύση* referta Iudaico, offendunt HOTTINGERVS, WAGENSEILIVS, ipse etiam CASP. BARTHIVS. k) Refert Iudaeus ille, urbem *Hebron* nullum splendoris prisici monstrare uestigium, sed suis in ruinis sepultam. In ualle uero agri Hebronitici oppidum spectari, cum eoque Templum ingens, cui nomen impositum *Sancti Abrahami*. Sex ibi, pergit, exstructa *Sepulcra*, tria Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, tria mulierum, Sarae, Rebeckae, Leae, eademque ostendi, uelut genuina, pro erogata pecunia. Accedente Iudaeo, soluta stipe, a specus ianitore portam pandi ferream, inde ab aeuo Parum illorum, ut ferant, confectam. Intrare peregrinatorem, cum ardente lampade. Nihil in primo cerni specu, nihil in secundo. In tertio *sex* illa oculis subiici *Sepulcra*, quorum singulis nomina corporum, ibi dormientium, inscripta, testatur. In specu accendi lampadem, eamque perpetuam, nocte dieque haud extinguendam. Dolia etiam ostendi, ossibus repleta Israelitarum, qua de re supra, memini, dictum. l) Alter est *Iudaeus* quidam nominis incogniti, qui suis usurpauit oculis ipsa Hebraeorum Monimenta, intra et extra Terram Sanctam, descripta postea Hebraice, et lingua Latii ac notis donata ab HOTTINGERO, in *Cippis Hebraicis*. Hic enarrantur sequentia. m) Dormire Hebrone

i) Conf. WOLFII *Bibl. Hebr. T. I. p. Lectorem, Itinerario Beniam. praemissa. 248 sq. T. III. p. 152-54.* k) WOLF. l) §. X. m) p. 29. 30.  
l. c. Add. PEMPEREVR, in *Diss. ad*



*brone*, in Specu Machpela, *octo corpora*, inter haec ipsa illa Adami atque Euae. Supra Speluncam aedificium mirificae arque insignis stru-  
rae conspici, Dauidi Regi tribui vulgo solitum. Foribus proximam  
dicit fenestellam in pariete, Iudaeis precantibus frequentaram. Me-  
minit distributionis panis ac uini, tempore matutino et uespertino, ei-  
que adiunctae laetitiae, tympanis choreisque proditae, in honorem  
Abrahami. Si quem Scriptorum Iudaeorum utriusque uelis adiciere,  
adeas, quae FR. FERD. DE TROILO n) narrat. Hic uidit urbem *He-  
bron*, non ueterem, sed hodiernam, in eaque Templum magnificum,  
ab Helena, ut dicunt, profectum, iam in Moscheam conuersum Tur-  
cicam: Aedificatum illud dicit ex lapidibus magnis, politis et qua-  
dratis, a cuius portis arceantur Christiani. Condi hic Abrahamum,  
Isaacum, Iacobum, quorum *Monimenta* muro alto, ait, cincta,  
idque non sine causa, cum Turcum, pede ad illa admoto, morbo cor-  
reptum mortifero, confici, acceperit, quae nulla tamen ueri specie  
commendantur. Vnde ea, atque alia, multa cum dubitatione coniun-  
cta, a nobis uero neque neganda, neque propugnanda, dimittimus,  
et, acquiescentes in haecenus expositis, a Patrum tum moribundo-  
rum lectis, tum dormientium Cryptis, discedimus, sperantes, fore, ut  
Cineres atque Ossa eorum, ubicunque tandem cubent, iam requie frui  
dulcissima Deus iubeat, eademque Corpora, quae, uelut *σώματα της τα-  
πενώσεως*, suis ab umbris capiuntur, plena aliquando coelestis gloriae  
luce circumfusa, Corpori Christi Glorioso *σύμμορφα* reddat. o) In-  
terea nos, omni tempore, quo spiritum trahemus, in tam commemorabi-  
lem uitae intuentes exitum, Fidem Patrum imitari, pia sanctaque men-  
tis contentione annitamur, diuina Apostoli uoce **commonefacti**:

ΩΝ ΑΝΑΘΕΡΟΥΝΤΕΣ ΤΗΝ ΕΚΒΑΣΙΝ ΤΗΣ  
ΑΝΑΣΤΡΟΦΗΣ, ΜΙΜΕΙΣΘΕ ΤΗΝ  
ΠΙΣΤΙΝ.

HEBR. XIII. 7.

n) *Oriental. Reis. Beschreib.* p. 421.

o) PHIL. III. 21.










ed 12.



00 A 6450

12









29

# SEPVLTVRAM IN TERRA SANCTA, A IACOBO AC IOSEPHO, PATRIARCHIS MORIBVNDIS, EXPETITAM,

---

DVCTV ORACVLORVM DIVINI CODICIS,  
*GEN. XLVII. 29. 30. 31. XLIX. 29. 30. 31. 32. L. 5. 24. 25.*  
*HEBR. XI. 21. 22.*

---

PRAESIDE  
PARENTE, SANCTE OBSERVANDO,  
**DN. CHRISTOPH. HENRICO  
ZEIBICHIO,**

S.S. THEOLOGIAE DOCT. ET PROF. PVBL. PRIMARIO,  
SENATVS SACRI ASSESSORE, TEMPLI OO. SS. PRAEPO-  
SITO, ATQVE ORD. THEOLOGORVM

H. T. DECANO,

**PRO LOCO,**  
INTER S. S. THEOLOGIAE CANDIDATOS  
OBTINENDO,

PVBLICAE PLACIDAEQVE ERVDITORVM  
DISQVISITIONI

SVBIICIT

A V C T O R,

**CAROLVS HENR. ZEIBICHIVS,**

ARTIVM MAG. ATQVE ORDINIS PHILOSOPH. ASSESSOR.

---

*IN AVDITORIO MAIORI,*

*DIE XVIII. DEC. 1722*

---

VITEMBERGAE, PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI,  
ACADEMIAE A TYPIS.